DE
ISOCRATIS PANATHENAICO.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XXX MENSIS IULII A. MDCCCLXXXVII

IN PUBLICO DEFENDET

(Peter Johannes)
HENRICUS BRAND
CRUCINACENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXVII.

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

S.

Cum omnia cetera Isocratis scripta quid sibi velint in propatulo sit, quonam consilio oratio cui Panathenaicus inscribitur sit composita haud ita perspicuum est; atque ea praecipue quae ad disputationes cum discipulis institutas contradictionemque laudatoris Lacedaemoniorum orationi adiunctam pertinent velo quasi videntur esse obtenta. Neque enim quae hucusque viri docti, imprimis Lehmannus[1] et Teichmueller[2], de ea oratione scripserunt eiusmodi sunt in quibus sit acquiescendum; partim enim non sufficiunt ad omnia explicanda, partim prorsus vana sunt atque aperte falsa. Quae autem in libro suo qui est de eloquentia Attica Blassius[3] de Panathenaico protulit eorum quae abstrusiora sunt in ea oratione nihil attingunt. Itaque operae esse pretium videtur denuo pro virili parte inquirere quorum sententias in controversiam vocaverit orator quidque cum universa oratione tum adiuncta discipuli contradictione efficere voluerit.

Ut res facilius intellegantur, iam orationis dispositionem et argumentum summatim adumbremus: Panathenaicum minus arteficiose quam orationes superiore tempore editas compositum esse praefatus (1—4), copiose agit orator prooemio de vita sua ac studiis suis, ut defendat semet contra adversarios suos obtrectatoresque; imprimis queritur de invidiis sophistarum, quos cum saepius tum nuperrime permultis audientibus maledixisse sibi narrat (5—34). Iam transit ad propositum; se illustraturum esse pronuntiat beneficia ab Atheniensibus in Graecos collata. Sperat, si prospere sibi

[1] Die unter Xenophons Namen überlieferte Schrift vom Staate der Lacedämonier und die Panathenaische Rede des Isocrates in ihrem gegenseitigen Verhältnisse. Greifswald 1853.

[2] Literarische Fehden im 4. Jahrh. vor Chr. Breslau 1882. Vol. I. pp. 259—285.

[3] Die Attische Beredsamkeit. Vol. II. p. 292 sqq.

successerit, maiorem gloriam se esse assecuturum (35—38). Tum vero propositum ita amplificat ut Atheniensium et Lacedaemoniorum civitatibus inter se comparandis utra optime merita sit de Graecia se expositurum esse dicat (39—42). Iam temporis ordine servato merita utriusque civitatis contenduntur. Ac primum quidem ostendit orator eo quo Athenienses Persas bello persequentes et colonias in Asiam deducentes communi saluti consuluerint tempore Lacedaemonios id tantum egisse ut finitimas urbes subigerent (43—48). Deinde Athenienses bello Persico maiorem laudem sibi comparavisse Lacedaemoniis exponitur (49—52). Eosdem, cum mari imperarent, praestantius illis se gessisse (53—58) et contra barbaros meliores se praebuisse porro ostenditur (59—61). Quibus expositis orator ratus praedicatores Spartanorum hic exprobraturos esse Atheniensibus tributa sociis imperata et urbes Meliorum, Scionaeorum, Toronaeorum deletas demonstrare studet Lacedaemonios etiam peiora commisisse (62—73). Inde quod Agamemnonem, Argivorum ducem, commemorat arripit occasionem de virtutibus eius fusius exponendi (74—87). Tum revertitur eo unde digressus est et vituperat Lacedaemonios, quod Messenam et Plataeas diruerint (88—94). Porro hos multo plura peccavisse in Graecos quam maiores Atheniensium aliis illustrat exemplis (95—107). Hic orator, quod Lacedaemoniorum laudatores omnia occupata videntes praestantissimae Spartanorum rei publicae mentionem illaturi sint, aggreditur ad rationes Atheniensium rei publicae cum Lacedaemoniis in contentionem adducendas (108—113). Summis laudibus effert rationem qua maiorum res publicae a regibus administratae sint, et maxime quidem laudat Theseum, quod populare imperium optimatium potestate temperatum constituerit (114—129). Qua optima rei publicae forma ultra mille annos usque ad Solonem et Pisistratum maiores usos esse contendit (130—150). Iam quae actiones bonum civitatis statum secutae sint se explicaturum esse dicit (151—155). Postquam cum Athenienses tum Lacedaemonios vituperavit, quod bello contra Persas confecto nimis gratiam regis Persarum captavissent (156—160), maioribus suis laudi vertit quod colonias deduxerint (161—167) et Adrastum adiuverint (168—174). Postremo iniustis bellis a Lacedaemoniis, ut Peloponnesios sub potestatem redigerent, gestis (175—187) opponuntur iustissima

illa proelia quibus Athenienses cum Thracibus, Scythis, Eurystheo, Dareo dimicaverint (188—198).

Quam orationem cum corrigeret cum discipulis quibusdam, se in consilium adhibere constituisse orator narrat laudatorem quendam Lacedaemoniorum e disciplina sua profectum; hunc totam orationem probasse quidem, sed contra dicere esse ausum propterea gratiam habendam esse Lacedaemoniis quod optima invenissent instituta (199—202). E quo se iratum quaesivisse quonam pacto Lacedaemonii, ut qui communis institutionis prorsus expertes pueros ad furandum impellerent, inventores optimorum institutorum possent nominari (203—214)? Iam discipulum verba sua ita explicasse ut dicta essent de institutis ad bellum gerendum spectantibus (215—217). Sed ne hoc quidem comprobato opposuisse sese male Lacedaemonios illis institutis esse usos (218—228). Qua re audita discipulum quidem obmutuisse et abisse; semet autem mox paenituisse quod tam acerbe invectus esset in Lacedaemonios, atque in talem difficultatem implicatum statim convocasse se omnes qui in urbe essent discipulos deliberandi causa utrum edenda esset oratio necne (229—233). In quo consilio laudatorem illum Lacedaemoniorum orationem habuisse legimus in hanc fere sententiam comparatam: sibi persuaderi non posse ait iam displicere Isocrati acerba illa de Lacedaemoniis dicta; nam multa eorum, si quidem recte accipiantur, honorifica esse. Quae cum ita sint, suadet magistro ut edat orationem omnibus quae de ea disputata sint adiunctis (234—263), id quod ab omnibus probatur. Conclusione docemur quando et quomodo scripta sit oratio et quam in partem sit accipienda (263—272).

Panathenaicum perlegentes primo obtutu videmus de dispositione ab initio constituta strenueque observata cogitari non posse: saepius enim digreditur a proposito orator ‘propter copiam eorum quae dicenda ei affluunt’ (§ 95 *οἶδα σαφῶς ἐμαυτὸν λέγειν ἐπιχειροῦντα περὶ ὧν οὐκ ᾤμην ἐρεῖν . . . . διὰ τὸ πλῆθος τῶν εἰπεῖν ἐπιρρεόντων*). Praeterea loquacitas senectutis multis locis animadvertitur; occurrunt igitur multis locis inanium verborum ambages, eaedem res bis narrantur vel ter, ita vero ut taedium afferatur nonnunquam legentibus [1].

[1] De hac re plura notavit Blassius l. c. p. 297 sq.

Priusquam quid ego sentiam de oratione ita composita proferam, de Rud. Lehmanni coniectura, qualis sit quantumque ei adstipulari liceat, breviter exponam. Lehmannus igitur libro supra commemorato eam init rationem ut Isocratis Panathenaicum et Xenophontis de re publica Lacedaemoniorum libellum aliquo modo contineri inter se demonstrare studeat. Utramque enim scriptionem docet ipsam male cohaerere, cum altera ad alteram si recte referatur, omnia sint planissima. Argumentatio eius, quod quidem attinet ad Panathenaicum, haec fere est. Primum putat id Isocratem maxime oratione sua effici voluisse ut discipulos quosdam quam temere et inconsulte Lacedaemonios laudarent doceret simulque specimen laudationis iis praeberet. Cum quo proposito male conexum esse ostendit prooemium, quippe quo orator vehementer in sophistas invehatur, cum in orationis contextu Lacedaemoniorum laudatores eosdemque discipulos suos perpetue vituperet. Discipulos enim et sophistas de quibus in prooemio agatur non facile eosdem esse [1]. Nec sufficere ait quo vinculo prooemium cum cetera oratione coniunctum sit quaerenti respondere Isocratem secundum definitionem institutionis quae exstet in fine prooemii maiores suos eruditos, Spartanos rudes esse in animo habuisse exemplis demonstrare; nam ita extrinsecus tantum has orationes inter se cohaerere posse. Tum ex oratione ipsa satis intellegi posse negat qua ratione factum sit ut Isocrates, postquam priore loco male tractatos esse ceteros Graecos a Lacedaemoniis explanaverit, tum denique transeat ad res publicas Atheniensium et Lacedaemoniorum inter se comparandas, praesertim cum huius alterius orationis partis finis, ubi de rebus agatur a maioribus e bono civitatis statu feliciter gestis, eo redeat ut eadem ac priore parte iterum nec minus copiose exponantur. Itaque quo Isocrates ipse se adductum esse fateatur ut de statu utriusque civitatis loqueretur, Lehmannus simulate dictum ac fictum esse putat, ex qua simulatione veram causam esse eruendam [2]. Deinde ullo pacto fieri posse negat ut quae orator de priore illa disputatione cum discipulo instituta narret (§ 199 sqq.) probabiliter cum rerum contextu congruant. Putat igitur discipulum sibi non constare, cum dicat § 202 ideo iure omnes gratiam habituros esse Lacedaemoniis quod pulcherrima instituta invenerint et

[1] L. c. p. 53. [2] L. c. p. 56 sq.

aliis demonstraverint, si quidem credamus totam quae antecedat orationem ab eodem esse probatam; ea enim quae obiciat discipulus ab Isocrate in altera orationis parte, ubi de rebus publicis agatur, iam esse occupata [1]. Quod igitur tres Panathenaici partes prooemium, duae orationes de Atheniensium et Spartanorum civitate, disputationes Isocratem inter et discipulum habitae quomodo probabiliter cohaereant inter se e Panathenaico ipso cognosci nequeat, eo confugit ut extra orationem aliquid quaerendum esse statuat quo ea quae desiderentur in Panathenaico explicando facile addantur. Quod ex libello de re publica Lacedaemoniorum fieri contendit, quem a Xenophonte abiudicandum et ab eodem Isocratis discipulo qui verba faciat in Panathenaico confectum esse opinatur. Hac enim ratione etiam ea quae in illo libello viris doctis offensioni sint, praecipue quonam vinculo caput XIV cum universo opere contineatur, commodissime explicari Lehmannus demonstrare studet. Ad quam rem quantum profecerit ille suo loco exponam. Nunc vero accuratius videamus quemadmodum partium Panathenaici conexum coniectura sua expedivisse sibi videatur. Persuadere igitur nobis studet et Panathenaici duas partes quibus Atheniensium Spartanorumque mores ponderentur et libellum de re publica Lacedaemoniorum conscriptum nihil esse nisi declamationes eo tempore quo Isocratis discipuli in dicendo se exercuerint confectas. Ac primum quidem partem illam qua Spartanos omnium iniquissimos se ceteris Graecis praebuisse doceamur ab Isocrate esse scriptam; a quibus criminibus ut illos defenderet, discipulum quendam libellum illum quo de Lacedaemoniorum re publica agatur deinde edidisse. Iamque Isocratem cum praesentem meliora docuisse discipulum, quod factum esse priore disputatione in Panathenaico narrata, tum alteram suae orationis partem, qua rebus publicis Atheniensium et Lacedaemoniorum inter se comparatis discipuli sententia corrigeretur, priori addidisse. Ita rem se habere ut comprobetur, complures locos affert e Panathenaico quos ad libellum illum falso Xenophonti attributum pertinere putat. De singulis argumentis ab eo allatis, quid valeant quantumque iis assentiri liceat, cum longum sit quaestionem instituere, per occasionem de iis strictim iudicium tulisse satis habebo. Ac primum quidem de universa sententia eius aliquid dicturus sum. Quae stare non potest, nisi

[1] L. c. p. 58 sqq.

Isocratem gravissimam rem nos celavisse credimus. Sed hoc absurdius est, quam ut probari liceat. Quid dicamus tandem impedivisse ne aperte quomodo compositus esset Panathenaicus ille profiteretur? Aut quae iusta causa afferri potest cur eius discipuli de re publica Lacedaemoniorum scriptione omnino mentio non fiat? Praeterea Lehmannus coniectura sua omnes difficultates non modo non tollit, sed, ut stare possit sententia sua, facere nequit quin permultis locis *ψευδολογίας* esse statuat. Qua in re omnem iustae interpretationis modum transit. Neque enim dubitat locos qui a coniectura sua abhorrere videantur contorte ac perverse interpretari. Ita, ut exemplum afferram, cum quae in prooemio de sophistae cuiusdam maledictis narrantur sententiae suae de Panathenaici origine modo expositae videantur adversari (omnia enim ad dissensionem cum discipulo vult revocari), mirum in modum contendit oratorem pravi illius sophistae ratione describenda effigiem ipsius discipuli in peius depravatam designare in animo habuisse, eo quidem consilio ut per hanc imaginem discipuli contradicentis a se alienatio qualis quantaque esset significaret[1]. Quae omnia e vano sumpta sunt. Etenim si opinione non praeiudicata eam narrationem legimus, luce clarius est oratorem revera scholam quandam philosophorum dixisse: vel inde quod singula ille persecutus est (de loco enim, qui fuerit *ἐν τῷ Λυκείῳ*, et de tempore, quod fuerit *μικρὸν πρὸ τῶν Παναθηναίων*, docemur) colligere possumus eam narrationem non commenticiam, sed veram esse. Causam quoque cur sophista ille Isocratem obiurget (§ 19 *ὡς ἐγὼ πάντων καταφρονῶ τῶν τοιούτων, καὶ τάς τε φιλοσοφίας τὰς τῶν ἄλλων καὶ τὰς παιδείας ἁπάσας ἀναιρῶ καὶ φημὶ πάντας ληρεῖν πλὴν τοὺς μετεσχηκότας τῆς ἐμῆς διατριβῆς*) facillime adducimur ut credamus, cum orator, quem eo progressum esse superbiae ut omnia aliorum studia sperneret constat, talem reprehensionem pro-

[1] Id quod optime in naturam Panathenaici convenire affirmat. Dicit de ea re l. c. p. 68: Wird der Schüler hier unter der Maske des gemeinen Sophisten vorgeführt, so ist dies ja vollkommen in Uebereinstimmung mit der dramatischen Entwicklung des Panathenaicus, welche jenen durch das Fegefeuer der Ironie gehen läfst, bis dafs die Schmach des gemeinen Sophisten von ihm genommen werden kann. Diese Maske stellt also den Schüler hinsichts seines Verhältnisses zu Isocrates in dem durch ihn verschuldeten Zustand der Entfremdung dar u. s. w.

vocaverit necesse sit. Obstant insuper haec ipsa verba quominus ea a discipulo personato dici Isocratem voluisse cum Lehmanno existimemus. Nam quid absurdius est quam putare discipulum, ut qui esset ipse *μετεσχηκὼς τῆς διατριβῆς*, tali modo vituperasse praeceptorem? Sed etiamsi his argumentis non multum ponderis tribueremus, id solum ne illam sententiam amplectamur impedit quod omnino nullo verbo haec res indicatur. Si enim Isocrates revera discipulum personatum nobis producere in animo habuisset, certe hoc ita fecisset ut aliquo modo cognosci posset rem ita se habere. Alioqui inepta esset talis dissimulatio. Sed satis superque de mira hac sententia dixisse mihi videor.

Ex his ipsis quae dicta sunt colligi licet Lehmanni coniecturam non multum habere probabilitatis: quae stare nequit, nisi quaesitam et ab ipsis oratoris verbis alienam interpretandi rationem laudamus. Huc accedit quod indicia quibus ille sententiam suam comprobari opinatur haudquaquam in promptu sunt, sed longissime repetita, ita vero ut etiam Beckhausius, ceteroqui Lehmanni adstipulator, eum nonnunquam in talibus indiciis investigandis 'nimis argute' versatum esse dicat [1]. Ne id quidem Lehmannus nobis persuasit Isocratem orationem de Atheniensibus bene, de Lacedaemoniis male de Graecia meritis discipulorum causa confecisse, eo quidem consilio ut specimen opponeret declamationibus eorum simulque eos edoceret quam temere Lacedaemonios laudarent. Neque enim quae argumenta afferuntur ab eo eiusmodi sunt ut ad sententiam eius accedere possimus. Nititur igitur verbis § 87 *ἐγὼ τὸ λυσιτελὲς ἐάσας τὸ δίκαιον εἱλόμην· οὐ μόνον δ' ἂν εὑρεθείην ἐπὶ τοῖς νῦν λεγομένοις ταύτην ἔχων τὴν διάνοιαν ἀλλ' ὁμοίως ἐπὶ πάντων, ἐπεὶ καὶ τῶν πεπλησιακότων μοι φανείην αν μᾶλλον χαίρων τοῖς ἐπὶ τῷ βίῳ καὶ ταῖς πράξεσιν εὐδοκιμοῦσιν ἢ τοῖς περὶ τοὺς λόγους δεινοῖς εἶναι δοκοῦσιν* et § 271 *τίνος οὖν ἕνεκα ταῦτα διῆλθον; οὐ συγγνώμης τυχεῖν ἀξιῶν ὑπὲρ τῶν εἰρημένων . . .*, *ἀλλὰ τῶν ἀκροατῶν ἐπαινέσαι βουλόμενος τοὺς τόν τε λόγον ἀποδεχομένους τοῦτον καὶ τῶν ἄλλων σπουδαιοτέρους καὶ φιλοσοφωτέρους εἶναι νομίζοντας τοὺς διδασκαλικοὺς καὶ τεχνικοὺς τῶν πρὸς*

[1] Der jüngere Xenophon und Isocrates. Zeitschrift f. d. Gymnasialw. 26. Berlin 1872 p. 245.

τὰς ἐπιδείξεις καὶ τοὺς ἀγῶνας γεγραμμένων κτλ. Sed quomodo ex his locis totam orationem ad discipulos spectare effici possit equidem intellegere nequeo. Etiam mirabiliore argumentatione ille utitur, ut oratorem ad priorem orationis partem componendam discipulorum declamationibus impulsum esse demonstret[1]. Affirmat enim rem ita se habere ex iis praecipue cognosci verbis quibus orator quo adductus sit ad Panathenaicum scribendum exponat: § 37 ἀλλ' ὅμως οὐδὲν μᾶλλον ἀποστατέον αὐτῶν ἐστιν, ἀλλ' ἐπιτελεστέον, ἤν περ ἔτι ζῆν δυνηθῶμεν, ἄλλως τε καὶ πολλῶν με παροξυνόντων γράφειν αὐτόν (scil. τὸν λόγον), πρῶτον μὲν τῶν εἰθισμένων ἀσελγῶς κατηγορεῖν τῆς πόλεως ἡμῶν, ἔπειτα τῶν χαριέντως μὲν ἀπειροτέρως δὲ καὶ καταδεεστέρως ἐπαινούντων αὐτήν, ἔτι δὲ τῶν ἑτέρων μᾶλλον εὐλογεῖν τολμώντων οὐκ ἀνθρωπίνως ἀλλ' οὕτως ὥστε πολλοὺς ἀντιτάττεσθαι πρὸς αὐτοὺς κτλ. Sed ubi quaeso elucet oratorem hoc loco discipulos suos designasse? Aut ubi de declamationibus discipulorum agitur? Neque minus quae deinde ille affert verba ad sententiam suam comprobandam e laudatione Helenae § 15 sumpta: ἵνα δὲ μὴ δοκῶ τὸ ῥᾷστον ποιεῖν, ἐπιτιμᾶν τοῖς ἄλλοις μηδὲν ἐπιδεικνὺς τῶν ἐμαυτοῦ, πειράσομαι περὶ τῆς αὐτῆς ταύτης εἰπεῖν quid sibi velint in Panathenaico explicando iure mireris. Atque orationem non ad discipulos spectare eorumque declamationes ex iis ipsis quae prooemio continentur concludere licet: nam quid sibi vellet talis copiosa narratio de vita sua et de inimicitiis cum adversariis, quid tandem crebrae illae querelae de exigua sua auctoritate apud cives suos, nisi latius pateret oratio? Cum igitur orator ineunte oratione totam vitae suae rationem enarret et de sinceris studiis suis ingenue rationem reddat, ut quam falso in invidiam adducatur ab adversariis fiat manifestum, et queratur quod non in ea qua dignus sit existimatione apud cives sit, luce clarius est eum discordiis externis, non dissensionibus quae intra fines ludi se continerent commotum esse ad Panathenaicum scribendum. Apparet igitur Lehmannum quae de origine eius orationis disputat ex opinatione sua potius quam ex oratione ipsa hausisse. Ut breve iudicium de tota commentatione eius faciamus, nihil propemodum ea lucramur aut ad universam

[1] L. c. p. 37 sqq.

rationem qua compositus sit Panathenaicus aut ad singula melius perspicienda.

Primus Teichmueller haud exiguae orationis parti lucem attulit scriptione sua supra commemorata, qua increpationes potissimum adversariorum quo tandem spectarent demonstravit. Interpretibus enim earum quas Isocrates conscripsit orationum maximam difficultatem ea res affert quod ille non nominatim, sed prorsus generatim in aemulos solet invehi. Qua in re cavendum est ne putemus sophistas dictos esse ab eo qui vulgo ita nominentur, i. e. eos qui omnem scientiam et mores ad singulorum hominum opiniones et arbitria referrent, velut Protagoras, Gorgias, alii. Nam opera eius legentibus evidenter apparet id nomen latius patere apud eum, ita ut sic omnes qui rerum cognitioni studerent ab eo sint appellati. In tanta igitur generis amplitudine investigandi erant ii a quibus iniuriam sibi illatam orator queritur. Quod perficere contigit Teichmuellero, qui Aristotelem eiusque discipulos esse adversarios in prooemio designatos perspexit. Non sane est ille princeps eius interpretationis, cum de eo ipso philosopho ibidem perstricto triginta annis ante iam proposuisset Spengelius [1]; sed hic suspicatus tantum erat, ille firmis argumentis rem probavit. Quae argumenta aliquot locis a me amplificata iam proferam.

Ac primum quidem ipso loco ubi sedentes docuisse ac disputasse legimus sophistas illos (§ 18 *ἐν τῷ Λυκείῳ συγκαθεζόμενοι τρεῖς ἢ τέτταρες τῶν ἀγελαίων σοφιστῶν*) admonemur Aristotelis. In Lyceo enim inde ab Ol. 111, 2, quo anno a Macedonia revertit philosophus Athenas, eum et qui erant ab eius disciplina assiduos fuisse memoriae est traditum. Ubi autem postea docebat, ibi superiore quoque tempore, statim ex quo ipse praeceptoris partes susceperat, scholas eum habuisse probabilissimum est. *Συγκαθεζόμενοι* vero illud quod legitur si convenire quis negaverit forsitan cum Aristotelis consuetudine dum doceret in xystis Lycei ambulandi [2], is discat a Diogene Laertio, id quod etiam per se consentaneum est, eum non semper ea docendi ratione usum esse,

---

[1] Ueber die Rhetorik des Aristoteles. Abh. d. Kgl. Bayer. Akad. d. W. 1852. p. 471 sqq.

[2] Cf. Gellius N. A. XX 5, 5 utroque enim (i. e. matutino et pomeridiano) tempore ambulans disserebat.

sed, cum frequentiores convenissent audiendi studiosi, consedisse (Diog. L. V, 3 ἐπειδὴ δὲ πλείους ἐγένοντο, ἤδη καὶ ἐκάθισεν). Atque ut locus quo convenisse legimus Isocratis obtrectatores, ita quae de consuetudine ac doctrina eorundem notata sunt aperte cadunt in Aristotelem. Primum igitur de universo genere eorum inde quod nominantur sophistae, de cuius nominis singulari quam apud Isocratem haberet significatione supra est dictum, maximeque quod omnia se scire eos praedicare commemoratur (§ 18 καὶ πάντα φασκόντων εἰδέναι), colligi licet eos esse philosophos. Talia enim iactare solebant philosophi, imprimisque Aristoteles, cum philosophia in cognitione causae primae et maxime universalis versaretur, e qua omnium rerum scientia redundaret, scientiae eius studiosos omnia scire praedicabat (Metaph. I 2, 982 a 21 τὸ μὲν πάντα ἐπίστασθαι τῷ μάλιστα ἔχοντι τὴν καθόλου ἐπιστήμην ἀναγκαῖον ὑπάρχειν. οὗτος γὰρ οἶδέ πως πάντα τὰ ὑποκείμενα. ibid. IV 2, 1004 a 35 ἔστι τοῦ φιλοσόφου περὶ πάντων δύνασθαι θεωρεῖν). Deinde philosophi Stagiritae propria fuisse compertum habemus cum aliorum poetarum tum Homeri carminum studia, quibus deditos fuisse legimus sophistas illos in Lyceo disserentes (§ 18 ἔλεγον ὡς . . . . διαλέγοιντο περί τε τῶν ἄλλων ποιητῶν καὶ τῆς Ἡσιόδου καὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, οὐδὲν μὲν παρ' αὐτῶν λέγοντες, τὰ δ' ἐκείνων ῥαψῳδοῦντες καὶ τῶν πρότερον ἄλλοις τισὶν εἰρημένων τὰ χαριέστατα μνημονεύοντες). Testimonio autem sunt et ars eius quae ad nos pervenit poetica et de poetis libri tres a Diogene Laertio commemorati (Diog. L. V 22 περὶ ποιητῶν α' β' γ') nec non recensio Iliadis quae postea ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος nominabatur ab eo comparata[1]. Praeterea facillime potest demonstrari maxime consentaneam Aristotelis praeceptis esse sententiam de magno videlicet poetarum ad eruditionem usu quam habere videtur sophista ille audacissimus qui arguat repudiari ab Isocrate cum omnes aliorum disciplinas tum eam educationem quae studiis operum Homeri et Hesiodi nitatur (§ 19 ἀποδεξαμένων δὲ τῶν περιεστώτων τὴν διατριβὴν αὐτῶν ἕνα τὸν τολμηρότατον ἐπιχειρῆσαί με διαβάλλειν, λέγονθ' ὡς ἐγὼ πάντων καταφρονῶ τῶν τοιούτων [scil. τῶν ἄλλων ποιητῶν καὶ τῆς

[1] Vid. Wolfii Prolegg. p. 183.

Ἡσιόδου καὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, vid. § 18], καὶ τάς τε φιλοσοφίας τὰς τῶν ἄλλων καὶ τὰς παιδείας ἁπάσας ἀναιρῶ καὶ φημὶ πάντας ληρεῖν πλὴν τοὺς μετεσχηκότας τῆς ἐμῆς διατριβῆς. Cf. § 25 οἶμαι γάρ, ἢν ἐξενέγκω γράψας καὶ ποιήσω φανερὰν ἣν ἔχω γνώμην περί τε τῆς παιδείας καὶ τῶν ποιητῶν, παύσειν αὐτοὺς ψευδεῖς πλάττοντας αἰτίας καὶ λέγοντας ὅτι ἂν τύχωσιν et §§ 26 et 33). Sane si idem sensisset Aristoteles de poetis ac magister eius Plato, fieri non potuisset ut Isocrates contemptionem eorum adversario suo exprobraret: hic enim poetarum, quatenus ars eorum in imitando versaretur, erat exagitator optimaeque rei publicae speciem definiens etiam Homerum ab educatione exclusit (Plat. de Rep. II 378 d. 379 c d. X 595 a sqq.). Aristotelem vero multo secus iudicasse de poetis puerilis aetatis magistris, quamquam nullum affere possumus eius praeceptum quo illos quam velit efficaces esse ad hominum mentes informandas aperte dicat (ubi enim de hac re praecipiendum erat, ea ipsa Politicorum libri VIII pars desideratur), ex universa tamen artis aestimatione eius a magistro admodum diversa fit perspicuum. Etenim quae disputat Plato de Rep. X 596 a sqq., cum omnes imitatores tum poetas, propterea quod neutiquam quae solae vere sint atque intellegantur rerum ἰδέας sive formas, sed ea quae sub sensus cadant vel opinione tantum contineantur imitando exprimant, longe a veritate abesse, prorsus his contraria ponit Aristoteles, cum poetarum maxime proprium esse dicit unumquodque ad sui generis speciem redigere artemque eorum propius affirmat accedere ad philosophiam quam historiam, quia haec res factas simpliciter narret, illa exemplis demonstret universam rerum naturam (Poet. 9, 1451 b 5 διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν· ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. ἔστι δὲ καθόλου μὲν τῷ ποίῳ τὰ ποῖα ἄττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον, οὗ στοχάζεται ἡ ποίησις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη· τὸ δὲ καθ' ἕκαστον τί Ἀλκιβιάδης ἔπραξεν ἢ τί ἔπαθεν. Cf. 15, 1454 a 33 sqq.) [1]. Quodsi ille concludit poetas pessimos se praestare morum praeceptores, quoniam hominum mentes fallant (de Rep. 599 a μιμη-

[1] Cf. Zeller Die Philosophie der Griechen. Ed. 3. 1879 II² p. 768 sqq.

ταῖς τούτοις ουτοι ἐντυχόντες ἐξηπάτηνται) non veram virtutem, sed mera eius simulacra persequentes (ibid. 600 e οὐκοῦν τιθῶμεν ἀπὸ Ὁμήρου ἀρξαμένους πάντας τοὺς ποιητικοὺς μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς εἶναι καὶ τῶν ἄλλων, περὶ ὧν ποιοῦσι, τῆς δὲ ἀληθείας οὐχ ἅπτεσθαι; cf. 599 a d. 605 a b), hic e contrario ad mores emendandos aptissimos eos iudicaverit necesse est, ideo videlicet quia honestum quale esset et inhonestum proponendo ab improbitate nos deterrerent, incitarent ad probitatem [1]. Adde studium Homeri carminum quo arsisse Alexandrum philosophi eius discipulum memoriae proditum est. Cuius studii quin auctor ei fuerit ille philosophus dubium esse eo minus potest quod recensionem Iliadis, de qua paulo supra diximus, ad pueri eius regii potissimum usum comparatam esse constat. Videmus igitur identidem quam non alienum sit ab Aristotele quidvis eorum quae comperimus de ratione audacissimi et gloriosissimi sophistae vel subtilissime cum ratione illius contentum, ita ut vel ex iis quae hucusque collata sunt Aristotelem eiusque discipulos ab Isocrate impugnari hóc loco fiat verisimillimum. Firmissimum vero argumentum et id quidem tanti momenti ut res ex verisimilitudine ad manifestam fidem perducatur invenies in iis quae narrat orator de eodem adversario gloriosissimo et maledicentissimo laudis suae oratoriae vetere obtrectatore (§ 16 τῶν οἰομένων διαφέρειν καὶ ζηλούντων ἐμὲ καὶ μιμεῖσθαι γλιχομένων κτλ). Ipsum enim Aristotelem ‘cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset’ (Cic. de orat. III 35, 141), se diutius tenere sese non posse quin ei obloqueretur legimus pronuntiasse et ‘pomeridianis scholis artem oratoriam praecipere coepisse’ (Quint. Inst. or. III 1, 126) [2]. Eundem in hac aemulatione acerrime invehendo et lacessendo imminuere studuisse auctoritatem invisi rhetoris, id quod hic sophistam illum eiusque assectatores fecisse arguit (§ 16 οὐδ᾽ ἀμελεῖν ἡμῶν ἐθέλουσιν ἀλλ᾽ ἀεί τι φλαῦρον περὶ ἐμοῦ λέγουσιν), cum aliorum tum Ciceronis fide confirmatur (cf. Cic. Orat. 19, 62 Ari-

[1] Zeller l. c. pp. 769 et 772.

[2] Copiose de hac simultate exposuit Grote Aristotle. Ed. III. London 1883 pp. 21—25. Cf. Zeller II [2] p. 18. adn. 3. Reinhardt de Isocratis aemulis (dissert. Bonn. 1873) p. 40 sqq.

stoteles Isocratem ipsum lacessivit, ibid. 51, 172 quis ... acrior fuit Aristotele? quis porro Isocrati est adversatus impensius? de offic. I 1, 4 de Aristotele et Isocrate .... quorum uterque suo studio delectatus contempsit alterum, Dionys. Halic. de Isocr. iud. p. 577 *καὶ οὔτ' Ἀριστοτέλει πείθομαι ῥυπαίνειν τὸν ἄνδρα βουλομένῳ*). Porro quod orationibus Isocratis usus esset ad leges orandi constituendas et inde quasi victum cepisset (§ 16 *οἵτινες οὔτε φράζειν οὐδὲν μέρος ἔχοντες τοῖς μαθηταῖς τῶν εἰρημένων ὑπ' ἐμοῦ τοῖς τε λόγοις παραδείγμασι χρώμενοι τοῖς ἐμοῖς καὶ ζῶντες ἐντεῦθεν τοσούτου δέουσι χάριν ἔχειν τούτων κτλ.*), cui aptius obici potuit quam Aristoteli? Qui quamquam illius rationi maxime adversarius, tamen iudicio utebatur tam integro ut exempla quibus rhetorices suae praecepta illustraret longe maximam partem sumeret ex eius orationibus [1]. Ut complectamur, per ea quae hucusque prolata sunt Aristotelem esse illum adversarium non solum omnes numeros habere probabilitatis, sed alium esse ne posse quidem licet pro certo affirmare; nam eo ipso tempore praeter illum alterum Athenis vixisse Isocratis acerbissimum et gravissimum aemulum eundem et philosophiae et artis oratoriae praeceptorem in quem omnia indicia tam apte conveniant, cum nusquam memoriae traditum sit, optimo iure negamus. Id unum quominus tam confidentur hoc statuatur videtur obstare quod brevi ante magna Panathenaea (§ 17 *μικρὸν πρὸ τῶν Παναθηναίων τῶν μεγάλων*) anni a. Ch. n. 342, quo anno orator Panathenaicum scribere coepit, Aristotelem non Athenis, sed Mytilenis aut iam in Macedonia fuisse ex iis quae de vita eius ad nos pervenerunt videtur effici. Omnes enim qui quidem fide digni sunt vitae eius scriptores consentiunt eum statim post Platonis mortem a. 347 una cum Xenocrate Athenis se contulisse ad Hermiam tyrannum, qui tum in urbe Atarnensium sedem ac domicilium habebat, ibique per tres annos commoratum Hermia iussu Persarum regis per insidias oppresso Mytilenas confugisse Ol. 108, 4 (= 345/4), Eubulo archonte, et duobus vel tribus annis post, Ol. 109, 2 (= 343/2), a Philippo rege vocatum in Macedoniam transmigrasse (Apollod. apud Diog. Laert. V, 7 sq. et Dionys. Halic. ep. ad Amm. I, 5. 727 sq). Quod Zellero satis

[1] Vid. Spengel Rhet. d. Arist. p. 474 sq. et Zeller l. c. II² p. 19.

erat causae cur in initio Panathenaici de philosopho cogitari posse contra Spengelium negaret[1]. Sed examinemus tantumne quantum ille putat ponderis tribuendum sit eorum qui de Aristotelis vita narraverunt testimonio. Vetustissimum autem a quo profiscendum sit Apollodori est testimonium, qui in *Χρονικοῖς*, quo libro rerum inde a Troia expugnata usque ad suum tempus (id est a. Chr. n. 1153—144) gestarum memoriam trimetris iambicis comprehendit, de temporibus Aristotelis tradiderat nonnulla, quae Diogenes Laertius nobis servavit (Diog. Laert. V, 7). Cuius fidem quidem cum propter auctoritatem vetustatis tum propterea quod eum in exquirendis temporibus diligentissimum fuisse notum est, in dubium vocari non licet. Itaque credenda sunt ea quorum ille est auctor a Diogene l. c. transcripta: *εἴς τε Μυτιλήνην ἐλθεῖν (Ἀριστοτέλην) ἐπ᾽ ἄρχοντος Εὐβούλου τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ὀγδοῆς καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος· Πλάτωνος δὲ τελευτήσαντος τῷ πρώτῳ ἔτει ἐπὶ Θεοφίλου*[2] *πρὸς Ἑρμείαν ἀπᾶραι καὶ μεῖναι ἔτη τρία· ἐπὶ Πυθοδότου δ᾽ ἐλθεῖν πρὸς Φίλιππον τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἐνάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος.* Verumtamen cavendum est ne inde quod de Aristotele Mytilenis Athenas reverso mentio nulla infertur nimium concludamus. Mancam enim esse hanc memoriam et praecipue de eo ipso quod ambigitur tempore nemo non videt. Nam quid ille per duos vel tres annos inter Ol. 108, 4 et Ol. 109, 2 interiectos egerit aut ubi fuerit frustra quaesiveris ubi dicatur; et Mytilenis eum moratum esse per hoc tempus qui illinc colligunt nimis audacter colligunt ex silentio. Quae cum ita sint, Apollodorus quidem non vetat putare philosophum, antequam in Macedoniam profectus sit, Athenas redisse, quod praetermissum esse potest ab illo sive ut res minus memorabilis sive quod eius temporibus iam evanuerat rei memoria. Et hoc quidem facile poterat fieri. Scriptorum enim vitas perscribere et memoriae tradere quo tempore optime fieri poterat Graeci omiserunt et tum cum grammaticis Alexandrinis potissimum id curae esse coepit multa oblivione iam erant obruta. Atque haec quidem de Apollodoro; magis sane nobis repugnat Dio-

[1] L. c. II[2] p. 18. adn. 3.

[2] Temporum ordinis hoc loco inversi culpa conferenda est, opinor, in Diogenem in rebus exscribendis parum subtilem.

nysius Halicarnassensis, qui expresse pronuntiet ex urbe Mytilenis Aristotelem se contulisse ad Philippum regem (epist. ad Ammaeum I 5 p. 727 sq. ἐπ᾽ Ἐυβούλου ἄρχοντος εἰς Μυτιλήνην ἐχωρίσθη· ἐκεῖθεν δὲ πρὸς Φίλιππον ἤρχετο κατὰ Πυθόδοτον ἄρχοντα κτλ.). Dionysius et ipse auctor est gravissimus atque in perpendendis et seligendis aliorum auctoritatibus diligentissimus, quaeque de Aristotelis vita narrat l. c. Apollodoro potissimum deberi apparet [1]; prorsus enim eadem totidemque quot hic tempora ac res ille tradidit, quorum nonnulla is solus, quantum nos quidem cognoscere possumus, memoriae prodiderat, veluti philosophi in Lesbum insulam Ol. 108, 4 discessum. Sed ἐκεῖθεν illud verisimile est ipsum Dionysium, quia Aristotelem, antequam a Philippo in Macedoniam esset vocatus, Mytilenis alio profectum esse traditum nusquam invenisset, optima fide, sed cupidius addidisse. Utcunque vero res se habet, certe qui Dionysii verbis nisi sententiam a Spengelio et Teichmuellero prolatam improbant nimium ponderis illis tribuunt. E contrario enim, quoniam veram esse illorum coniecturam quam pro explorato habendum esset supra vidimus, licet ad ea quae de vita ac temporibus Aristotelis inde efficiuntur, ut quae posita sint testimonio aequalis, Apollodori narrationem supplere et corrigere memoriam Dionysii. Itaque statuendum est philosophum, priusquam in Macedoniam esset vocatus, Mytilenis Athenas redisse (Ol. 109, 1 Lycisco archonte) ibique scholas habuisse usque ad finem Ol. 109, 2 (= 343/2) [2].

Teichmueller etiam qui sint duo vel tres illi discipuli quos una cum maledico suo adversario fuisse Isocrates narrat (§ 18 τρεῖς ἢ τέτταρες τῶν ἀγελαίων σοφιστῶν) studuit investigare [3]. At quaestio tam inanis, quae certis indiciis non nitatur, magnam laudem habere nequit. Multo melius eo meruit ille quod in ipsa

---

[1] Cf. H. Diels Chronolog. Untersuchungen über Apollodors Chronica. Rhein. Mus. f. Philol. XXXI (1876) p. 43 sq.

[2] Eum Athenis, non Mytilenis in Macedoniam profectum esse Stahrius iam suspicatus erat ex verbis quae ex epistula ab ipso Aristotele scripta affert Demetrius de elocut. 29 154 ἐγὼ μὲν Ἀθηνῶν εἰς Στάγειρα ἦλθον διὰ τὸν βασιλέα τὸν μέγαν, ἐκ δὲ Σταγείρων εἰς Ἀθήνας διὰ χειμῶνα τὸν μέγαν (vid. Stahr Aristotelia I p. 105 adn. 2. — Cf. Zeller II[2] p. 23. adn. 2.)

[3] L. c. p. 267 sqq.

oratione sententias impugnari quas Plato in libris de legibus protulit acute aperuit. In eo sane quod concludit inde de universo quo Panathenaicus scriptus sit consilio sine dubio nimius est. Sed antequam in hanc rem inquiramus, singulos locos ab illo collectos et inter se collatos iuvat proferre.

Ac primum quidem quod Isocrates § 41 cum indignatione pronuntiat, mentionem fecisse quosdam Spartanorum civitatis, quasi semidei constituissent ibi rem publicam (*ἔνιοι δέ τινες ὥσπερ τῶν ἡμιθέων ἐκεῖ πεπολιτευμένων μέμνηνται περὶ αὐτῶν*), ad ipsum legum exordium spectare demonstrat; ibi enim Cretenses et Lacedaemonios iis contineri institutis praedicari quibus Iove et Apolline auctoribus Minos, Iovis filius, et Lycurgus rem publicam temperaverint (Legg. 624 b *ὡς τοῦ Μίνω φοιτῶντος πρὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἑκάστοτε συνουσίαν δι' ἐνάτου ἔτους καὶ κατὰ τὰς παρ' ἐκείνου φήμας ταῖς πόλεσιν ὑμῖν θέντος τοὺς νόμους* et 632 d *ἐν τοῖς τοῦ Διὸς λεγομένοις νόμοις τοῖς τε τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος, οὓς Μίνως τε καὶ Λυκοῦργος ἐθέτην*). Ceteroqui quas quartus praecipue eius dialogi liber continet sententias praestringi ille ostendit. Panath. § 62 sqq. igitur ab oratore ii notantur qui laudes Atheniensium et vituperationes Spartanorum animo accipere soleant offenso (§ 62 *τοὺς ἀηδῶς ἀκούοντας τῶν λόγων τούτων*), quos iam, sicuti semper facere consueverint, civitatem Atheniensium obiurgaturos esse opinatur, ea nempe persequentes quae tum cum mari imperarent ab illis turpiter facta sint et incommoda quae socii inde acceperint stipendiaque exacta opprobrio eis vertentes (ibid. *κατηγορεῖν δὲ τῆς πόλεως ἡμῶν ἐπιχειρήσειν, ὅπερ ἀεὶ ποιεῖν εἰώθασι καὶ διεξιέναι τὰς δυσχερεστάτας τῶν πράξεων τῶν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλατταν γεγενημένων, καὶ τάς τε δίκας καὶ τὰς κρίσεις τὰς ἐνθάδε γιγνομένας τοῖς συμμάχοις καὶ τὴν τῶν φόρων εἴσπραξιν διαβαλεῖν κτλ.*) Iam de his et quae proxime sequuntur increpationibus Teichmuellero duce inspiciamus leges. Excidia sane Meliorum, Scionaeorum, Toronaeorum, quae potissimum obiecturos esse adversarios civibus suis Isocrates exspectat (§ 63 *καὶ μάλιστα διατρίψειν περὶ τὰ Μηλίων πάθη καὶ Σκιωναίων καὶ Τορωναίων, οἰομένους ταῖς κατηγορίαις ταύταις καταρρυπανεῖν τὰς τῆς πόλεως εὐεργεσίας τὰς πρότερον εἰρημένας*), nominatim ibi non commemorantur; sed quo cetera

possis referre aptos locos facile reperies. Etenim Legg. 704 d sqq. docet Plato civitatem maritimam (704 b *πόλιν ἐπιθαλαττίδιον*) bonis institutis morumque probitate vix excellere posse; mercatura enim maritima sordidoque lucri studio depravari mores, ita ut perfidiose et inhumane cives se gerant invicem inter se itemque alios accipiant (705 a *πρόσοικος γὰρ θάλαττα .... ἤδη παλίμβολα καὶ ἄπιστα ταῖς ψυχαῖς ἐντίκτουσα, αὐτήν τε πρὸς αὑτὴν τὴν πόλιν ἄπιστον καὶ ἄφιλον ποιεῖ καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὡσαύτως*); et paulo infra periculum esse ait ne cives urbis maritimae vitia eorum a quibus lacessantur adsciscant (706 a *τὴν δὲ δὴ μίμησιν ἔλεγον τὴν τῶν πολεμίων τὴν κακὴν τοιάνδε γίγνεσθαι, ὅταν οἰκῇ μέν τις πρὸς θαλάττῃ, λυπῆται δ' ὑπὸ πολεμίων*); ita Athenienses imitatos esse Minoem, qui molestum stipendium iis imposuisset, et ex fortibus gravis armaturae militibus necessario classiarios factos didicisse eos crebras exscensiones facere et rursus festinanter ad naves recurrere (706 c *ἀντὶ πεζῶν ὁπλιτῶν μονίμων ναυτικοὺς γενομένους ἐθισθῆναι πυκνὰ ἀποπηδῶντας δρομικῶς εἰς τὰς ναῦς ταχὺ πάλιν ἀποχωρεῖν*). Ex quibus dictis repeti posse incusationes illas Atheniensium quas Isocrates recenset l. c. unusquisque concedet. Praestantissimum vero indicium Teichmueller esse vult mentionem Agamemnonis ab utroque, et ab Isocrate et a Platone, hac occasione iniectam (cf. Panath. § 72 et Legg. 706 d sqq.), et certe quidem verba quibus defenditur ille in Panathenaico: *τὸν οὐ μίαν οὐδὲ δύο σχόντα μόνον ἀρετὰς ἀλλὰ πάσας ὅσας ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν καὶ ταύτας οὐ μετρίως ἀλλ' ὑπερβαλλόντως* contra Platonem scripta esse videtur esse manifestum. Hac ipsa enim ratione, i. e. examinans partem tantum totamne virtutem respiciant, ponderare solet hic instituta et leges eorumque auctores (e. gr. Legg. 705 d e *εἶπον ὡς ὅτι μὲν εἰς ἀρετήν ποι βλέποι τὰ τοιαῦτα νόμιμα κείμενα καλῶς ἔχοι, τὸ δ' ὅτι πρὸς μέρος ἀλλ' οὐ πρὸς πᾶσαν σχεδὸν οὐ πάνυ συνεχώρουν. νῦν οὖν ὑμεῖς μοι τῆς παρούσης νομοθεσίας ἀντιφυλάξατε ἑπόμενοι, ἐὰν ἄρα τι μὴ πρὸς ἀρετὴν τεῖνον ἢ πρὸς ἀρετῆς μόριον νομοθετῶ*, quocum cf. 630 e). Agamemnonem autem vituperat propter *ἐπιτήδευμα οὐ καλόν*, quod Troianis instantibus naves deducere iubens Achaeos ut ignave fugam capesserent impulerit (ibid. 706 d—707 a). Porro §§ 114—117 quoque oratorem respicere eas quae in legibus exstant Atheniensium

vituperationes vir ille doctus nobis probavit, ita vero ut id quod Plato animadvertit, veras virtutes parvi aestimatas esse sub imperio maritimo (Legg. 707 a *πρὸς δὲ τούτοις αἱ διὰ τὰ ναυτικὰ πόλεων δυνάμεις ἅμα σωτηρίᾳ τιμὰς οὐ τῷ καλλίστῳ τῶν πολεμικῶν ἀποδιδόασι. διὰ κυβερνητικῆς γὰρ καὶ πεντηκονταρχίας καὶ ἐρετικῆς καὶ παντοδαπῶν καὶ οὐ πάνυ σπουδαίων ἀνθρώπων γιγνομένης, τὰς τιμὰς ἑκάστοις οὐκ ἂν δύναιτο ὀρθῶς ἀποδιδόναι τις*), Isocrates concedat quidem, sed opponat maris imperium his virtutibus augeri non posse, sed artibus nauticis (§ 115 *ἀκριβῶς ᾔδεσαν* [*οἱ πρόγονοι*] *τὴν μὲν κατὰ γῆν ἡγεμονίαν ὑπ' εὐταξίας καὶ σωφροσύνης καὶ πειθαρχίας καὶ τῶν ἄλλων τοιούτων μελετωμένην, τὴν δὲ κατὰ θάλατταν δύναμιν οὐκ ἐκ τούτων αὐξανομένην ἀλλ' ἔκ τε τῶν τεχνῶν τῶν περὶ τὰς ναῦς καὶ τῶν ἐλαύνειν αὐτὰς δυναμένων*); quod vero cives sui mari res gerere praeoptaverint, non posse iure id quemquam reprehendere (ibid. *οὐδεὶς ἂν δικαίως ἐπιτιμήσειε τοῖς ἑλομένοις αὐτήν*, scil. *τὴν κατὰ θάλατταν δύναμιν*); tempori enim cedentes eo maxime consilio ut ab Lacedaemoniorum insidiis se defenderent (§ 114) hoc eos fecisse, cuius rei incommoda accipere maluisse eos quam principatum illorum perferre (§ 117 *ἐνόμιζον τῇ πόλει .... πρέπειν ἁπάσας ὑπομεῖναι τὰς δυσχερείας μᾶλλον ἢ τὴν Λακεδαιμονίων ἀρχήν*). Hic sententiis ab Isocrate impugnatis addi potuit fortasse qui verba proxime e legibus adscripta excipit locus: iudicium dico de pugna Salaminia parum honorificum. Hanc enim et pugnam ad Artemisium factam, etsi contulisse eas ad Graeciam liberandam non negat, tamen leviores Plato iudicat et longe postponit proeliis terrestribus apud Marathonem et Plataeas commissis, quippe quibus praecipue de summa rerum decretum sit; praeterea ex his fortiores evasisse Graecos, ex illis neutiquam (Legg. 707 b c *ΚΛ. ἀλλὰ μήν, ὦ ξένε, τήν γε περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχίαν τῶν Ἑλλήνων πρὸς τοὺς βαρβάρους γενομένην ἡμεῖς γε οἱ Κρῆτες τὴν Ἑλλάδα φαμὲν σῶσαι. ΑΘ. Καὶ γὰρ οἱ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων λέγουσι ταῦτα. ἡμεῖς δέ, ὦ φίλε, ἐγώ τε καὶ ὅδε, Μέγιλλος, φαμὲν τὴν πεζὴν μάχην τὴν ἐν Μαραθῶνι γενομένην καὶ ἐν Πλαταιαῖς, τὴν μὲν ἄρξαι τῆς σωτηρίας τοῖς Ἕλλησι, τὴν δὲ τέλος ἐπιθεῖναι, καὶ τὰς μὲν βελτίους τοὺς Ἕλληνας ποιῆσαι, τὰς δὲ οὐ βελτίους, ἵν' οὕτω λέγωμεν περὶ τῶν τότε ξυσσωσασῶν ἡμᾶς*

μαχῶν· πρὸς γὰρ τῇ περὶ Σαλαμῖνα τὴν περὶ τὸ Ἀρτεμίσιόν σοι προσθήσω κατὰ θάλατταν μάχην). Quo spectare arbitror Panath. 50—52, ubi totius belli Persici momentum fecisse pugnam illam navalem praedicetur (§ 50 *τὴν ναυμαχίαν τὴν ποιήσασαν ῥοπὴν ἅπαντος τοῦ πολέμου*), quantoque virtute ceteris praestiterint in ea Athenienses testes omnium peritissimi nominentur ipsius belli aequales qui tum principatum a Lacedaemoniis detulerint ad illos (§ 52 *τεκμήριον δὲ μέγιστον· ἀφελόμενοι γὰρ Λακεδαιμονίους τὴν ἡγεμονίαν οἱ συγκινδυνεύσαντες τοῖς ἡμετέροις παρέδοσαν· καίτοι τίνας ἂν τις κριτὰς ἱκανωτέρους ποιήσαιτο καὶ πιστοτέρους τῶν τότε πραχθέντων ἢ τοὺς ἐν αὐτοῖς τοῖς ἀγῶσι παραγενομένους; τίς δ᾽ ἂν εὐεργεσίαν εἰπεῖν ἔχοι ταύτης μείζω τῆς ἅπασαν τὴν Ἑλλάδα σῶσαι δυνηθείσης;*). Verumtamen Teichmueller, cum res cupidius conquireret, in nonnullis nimius fuit. Itaque quod Plato postulat, ut optimae cuique civitati et lingua et mores et sacra sint communia (Legg. 707 e et 708 c *τὸ μὲν γὰρ ἕν τι εἶναι γένος ὁμόφωνον καὶ ὁμόνομον ἔχει τινὰ φιλίαν, κοινωνὸν ἱερῶν ὂν καὶ τῶν τοιούτων πάντων*), hoc excepisse vult et in laudem maiorum suorum vertisse Isocratem, cum hos solos e Graecis eodem quod incolerent solo innatos neque e compluribus gentibus mixtos neque advenas esse pronuntiarit (§ 124 *ὄντας δὲ μήτε μιγάδας μήτ᾽ ἐπήλυδας, ἀλλὰ μόνους αὐτόχθονας τῶν Ἑλλήνων κτλ*). Sed propter hanc ipsam virtutem ac praestantiam non semel videmus laudibus celebrari Athenienses ab oratore; conferas enim Paneg. 54 *ταύτην γὰρ οἰκοῦμεν οὐχ ἑτέρους ἐκβαλόντες οὐδ᾽ ἐρήμην καταλαβόντες οὐδ᾽ ἐκ πολλῶν ἐθνῶν μιγάδες συλλεγέντες, ἀλλ᾽ οὕτω καλῶς καὶ γνησίως γεγόναμεν ὥστ᾽ ἐξ ἧσπερ ἔφυμεν, ταύτην ἔχοντες ἅπαντα τὸν χρόνον διατελοῦμεν αὐτόχθονες ὄντες κτλ* et de pace orat. § 49. Quo vero in orationibus iam ante leges editas (annis a. Ch. n. 380 et 356) conscriptis ceteris potiores esse cives suos ille solet demonstrare, non est cur idem in Panathenaico prolatum ad verba illa Platonis revocemus. Item in eo nimius est vir doctus quod ponit[1] Platoni interroganti Legg. 715 a *ποτέροις τισὶν ἡ πόλις ἡμῖν ἐστὶ παραδοτέα* Isocratem respondisse hoc

[1] L. c. p. 278.

de Theseo dicto Panath. § 129: *ἀκμάζων τὴν μὲν πόλιν, ὡς λέγεται, διοικεῖν τῷ πλήθει παρέδωκεν.* Quod ut comprobare possimus, maius aliquod requirimus indicium quam verbum *παραδιδόναι* utrobique usurpatum. Praeterea vir ille doctus nobis persuadere studet verba Panath. § 113 *οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδή περ αὐτοὺς οἶμαι τὸν λόγον τὸν περὶ τῶν πολιτειῶν εἰς τὸ μέσον ἐμβαλεῖν, οὐκ ὀκνήσω διαλεχθῆναι περὶ αὐτῶν* spectare ad de legg. lib. IV locos eos ubi de re publica optime constituenda agatur; et quae legantur Panath. § 132 sq. unamquamque civitatem optime regi a viris idoneis et iustis, pessime vero ab improbis eisque qui communi commodo neglecto suis rebus prospiciant, haec protulisse oratorem id spectantem quod Plato Legg. 712 d — 715 e exposuisset, rem publicam non laudandam esse nisi cuius instituta omnium utilitati servirent. Verba autem quibus res publica Atheniensium laudibus effertur Panath. § 130 *οὐ διήμαρτον αἱρούμενοι τῆς ὑπὸ πάντων ἂν ὁμολογηθείσης οὐ μόνον εἶναι κοινοτάτης καὶ δικαιοτάτης ἀλλὰ καὶ συμφορωτάτης ἅπασι καὶ τοῖς χρωμένοις ἡδίστης* revocat ille ad Platonis praeceptum quod exstat Legg. 715 b *ταύτας δή πού φαμεν ἡμεῖς νῦν οὔτ' εἶναι πολιτείας οὔτ' ὀρθοὺς νόμους ὅσοι μὴ ξυμπάσης τῆς πόλεως ἕνεκα τοῦ κοινοῦ ἐτέθησαν*[1]. Quae omnia non adducor ut credam. Quamquam non infitias eo Isocratem has illas adversarii sententias suas fecisse, ita sane ut quae hic perfectae rei publicae speciem describens laudavisset optima instituta transferret ad Athenienses[2]; sed quantum id factum sit si explorare volumus, valde cavendum est ne modum excedamus et respiciendum fieri non posse quin inter duas scriptiones quibus de rebus publicis disputetur communio quaedam intercedat rerum laudatarum et vituperatarum. Ac praecipue primam illam legem qua praecipitur ne rei publicae gubernatores suo potius quam communi commodo consulerent non est cur oratorem e libris de legibus demum didicisse putemus. Mirum sane in modum conveniunt inter se quos Teichmueller componit loci hi: Legg. 715 a *Ἀρχῶν περιμαχήτων γενομένων οἱ νικήσαντες τά τε πράγματα κατὰ τὴν πόλιν οὕτως ἐσφετέρισαν σφόδρα* . . . . . c *τοὺς δ' ἄρχοντας λεγομένους νῦν ὑπηρέτας*

---

[1] L. c. p. 277. [2] Teichm. l. c. p. 278.

τοῖς νόμοις ἐκάλεσα et Panath. § 145 *καθέστασαν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς τοὺς προκριθέντας ὑπὸ τῶν φυλετῶν καὶ δημοτῶν οὐ περιμαχήτους αὐτοὺς ποιήσαντες οὐδ' ἐπιθυμίας ἀξίας, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον λειτουργίαις ὁμοίας κτλ.* Igitur quod in quibusdam civitatibus Plato vituperat, quod magistratus propter contentiones magis sua cupiditate regantur quam legibus serviant, id contra fuisse apud maiores suos oratorem probare studuisse per me licet credatur. Quod vero Teichmueller praeterea arbitratur, historias fabulosas de Agamemnone et Theseo (Panath. §§ 74 sqq. et 126 sqq.) Isocratem orationi inseruisse Platonis imitandi causa, argumentis non comprobavit, neque hoc ita esse in oratione ipsa indicatur. De discipuli autem contradictione, quam eadem de causa in dialogi formam redactam esse ille contendit, alibi dicetur.

Iam consideremus id quod vir doctus ex his quos inter se comparavit locis effici putat. Statuit igitur Panathenaici partem gravissimam scriptam esse contra leges post Platonem mortuum a Philippo Opuntio vulgatas. Atque operam dedit ut ea ex opere illo afferret quibus animum Isocratis exacerbatum fuisse posset credi. Putat autem hoc factum esse Atheniensium vituperationibus (allegat Legg. 660 b *καθ' ὅσον αἰσθάνομαι, πλὴν παρ' ἡμῖν* [Cretensibus] *ἢ παρὰ Λακεδαιμονίοις, ἃ σὺ νῦν λέγεις οὐκ οἶδα πραττόμενα, καινὰ δὲ ἄττα ἀεὶ γιγνόμενα περί τε τὰς ὀρχήσεις καὶ περὶ τὴν ἄλλην μουσικὴν ξύμπασαν κτλ.* c *λοιδορεῖν γὰρ πράγματα ἀνίατα καὶ πόρρω προβεβηκότα ἁμαρτίας οὐδαμῶς ἡδύ, ἀναγκαῖον δ' ἐνίοτ' ἐστίν* eoque refert Panath. § 37 *ἄλλως τε καὶ πολλῶν με παροξυνόντων γράφειν αὐτόν, πρῶτον μὲν τῶν εἰθισμένων ἀσελγῶς κατηγορεῖν τῆς πόλεως ἡμῶν*)[1] et maxime eo quod Plato negasset suis temporibus ullum exstitisse Athenis praestantem oratorem eundemque bonorum consiliorum civibus auctorem (Legg. 711 e *ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐδαμῶς*)[2]. Sed primum maiore aliqua causa requirimus commotum esse oratorem ad orationem scribendam tam plenam contentionis. Neque facile potest credi acribus illis laconistarum insectationibus peti virum iam sex annos mortuum (Plato mortuus est 348/7). Deinde, si vere ille statuisset, leges prodisse oporteret breve ante id tempus demum

[1] L. c. p. 273. [2] Ibid. p. 275.

quo Isocrates Panathenaicum scribere coepit, i. e. Ol. 109,3 (= 342) [1]. Atqui iam anno 346 illas editas fuisse constat; commemorantur enim manifesto in eo libro quem Isocrates Ol. 108, 3 ad Philippum Macedonem misit (Philipp. § 12 *τοῖς νόμοις καὶ ταῖς πολιτείαις ταῖς ὑπὸ τῶν σοφιστῶν γεγραμμέναις*) [2]. Praeterea cum oratione eo consilio conscripta omnino non congrueret prooemium, ubi de iniuria ab Aristotele potissimum sibi illata scriptor queratur. Nam de maledictis potius quae in dialogo illo Platonico exstarent queri eum par esset, si illis re vera commotus fuisset orator ad Panathenaicum scribendum. An vero putemus eum órationem composuisse tam male cohaerentem ut quae ineunte oratione narrantur prorsus extra ipsam rem posita sint? Minime; nam prooemium non extrinsesus adnexum, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse in ipsa oratione satis multa exstant indicia, quae suo loco afferam.

Haec omnia si reputamus, apparet quod ita posuit vir doctus de legibus et Panathenaico stare non posse. Qui cum impugnari aliquot locis sententias quae in eo dialogo proferuntur recte cognovisset, omnem orationem ad eum referendam esse cupidius conclusit, et opinione ita praeiudicata plura quam licebat nostro quidem iudicio inde repetivit. Sed tamen profuit multum eius disputatio ad quaestionem de Panathenaico expediendam, cum Platonis maxime sententias in controversiam vocari, quod fieri nisi perpaucis locis ad id interpretes non viderant, primus pluribus locis inter se collatis ostendit. At non solos de legibus libros increpationibus et contradictionibus quae in oratione leguntur materiem et occasionem suppeditasse iam videbis.

Gaudeo enim me locis a viro docto collectis addere posse alios quibus item Platonis doctrina atque imprimis quae in dialogo de re publica docuit ille evidenter castigantur. Ut vero res melius intellegantur, necessarium esse videtur paucis prius exponere quibusnam de rebus dissenserint inter se orator et philosophus. Qua in re adiuvamur egregia commentatione Spengelii 'Isocrates und Platon'

---

[1] Vid. Blass Att. Bereds. II. p. 292.

[2] Cf. de ea re Spengel Isocrates u. Platon. Abh. d. Kgl. Bayer. Akad. d. W. 1855. p. 757 sq.

inscripta [1], ubi loci afferuntur ex Isocratis scriptis, quibus cum de omnibus Socraticis tum de Platone contemptim ille iudicat [2]. Isocrates enim, cum omnia ad vitae usum referret, alienissimus erat a philosophia quae in rerum contemplatione versatur; sed eum appellabat philosophum qui prudentia praeditus rebus publicis et suis optime consulere posset. Itaque nequicquam dubitat artem suam nomine philosophiae ornare. Sententiam autem suam de hac re planissime profert in oratione de permutatione § 271 sqq. Negat igitur ibi aptam esse naturam humanam ad eam cognitionem acquirendam qua instructi sciamus quid faciendum aut dicendum sit; pro hac sua sententia disputat contra Platonem (vid. Protag. 361 b *ὡς πάντα χρήματα ἐστὶν ἐπιστήμη .... ᾧ τρόπῳ μάλιστ᾽ ἂν διδακτὸν φανείη ἡ ἀρετή*) virtutem doceri omnino non posse; iam *σόφους* eos censet qui opinationibus plerumque optimum quidque assequi possint, *φιλοσόφους* autem qui versentur in iis rebus quibus celerrime talem prudentiam acquirant. Hoc dicendi studium esse declarat l. c. *ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ φύσει τῇ τῶν ἀνθρώπων ἐπιστήμην λαβεῖν ἣν ἔχοντες ἂν εἰδεῖμεν ὅτι πρακτέον ἢ λεκτέον ἐστίν, ἐκ τῶν λοιπῶν σοφοὺς μὲν νομίζω τοὺς ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους, φιλοσόφους δὲ τοὺς ἐν τούτοις διατρίβοντας ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τὴν τοιαύτην φρόνησιν κτλ.* Quam verborum *σοφία* et *φιλοσοφία* interpretationem ad Platonis Phaedrum spectare, ubi p. 278 d prorsus alia eorum verborum definitio inveniatur, recte docet Spengelius [3]. Magis etiam perspicua fit sententia oratoris, si comparamus orat. de sophist. §§ 1—8, ubi eos qui in rixis versentur (*οἱ περὶ τὰς ἔριδας διατρίβοντες*) mentiri dicit quod

---

[1] Abhandl. d. Kgl. Bayer. Akad. d. W. 1855. p. 728 sqq.

[2] Cf. etiam Reinhardt de Isocratis aemulis p. 29 sqq.

[3] L. c. p. 752. — Verba Platonis haec sunt: *εἰ μὲν εἰδὼς ᾗ τὸ ἀληθὲς ἔχει συνέθηκε ταῦτα, καὶ ἔχων βοηθεῖν, εἰς ἔλεγχον ἰὼν περὶ ὧν ἔγραψε, καὶ λέγων αὐτὸς δυνατὸς τὰ γεγραμμένα φαῦλα ἀποδεῖξαι, οὔ τι τῶνδε ἐπωνυμίαν ἔχοντα δεῖ λέγεσθαι τὸν τοιοῦτον, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ οἷς ἐσπούδακεν ἐκείνων.*

ΦΑΙ. Τίνας οὖν τὰς ἐπωνυμίας αὐτῷ νέμεις;

ΣΩ. Τὸ μὲν σοφόν, ὦ Φαῖδρε, καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν· τὸ δὲ ἢ φιλόσοφον ἢ τοιοῦτόν τι μᾶλλόν τε ἂν αὐτῷ ἁρμόττοι καὶ ἐμμελεστέρως ἔχοι.

se docere praedicent discipulos quid facientes fiant beati; earum enim rerum scientiam (ἐπιστήμην) omnino non existere, sed opiniones tantum (δόξας). Spengelius his verbis praecipue Megaricos perstringi suspicatus est[1], quod multum habet verisimilitudinis; certe ad Socraticos spectat hic locus.

Cum igitur Isocratem de decretis ac praeceptis Socraticorum tam leviter iudicasse demonstratum sit, non iam mirabimur, si quanti res ad eorum doctrinam pertinentes aestimaverit cognoverimus. De quibus rebus, i. e. geometria, astrologia etc., eum tum quidem cum orationem in sophistas scribebat idem sensisse ac vulgus elucet e § 8 eiusdem orationis, ubi dicit: *εἰκότως οἶμαι καταφρονοῦσι καὶ νομίζουσι ἀδολεσχίαν καὶ μικρολογίαν, ἀλλ' οὐ τῆς ψυχῆς ἐπιμέλειαν εἶναι τὰς τοιαύτας διατριβάς.* Sane quidem tempore procedente sententiam suam paulo mutavit, sed nunquam nisi re ab una tantum parte spectata iudicavit de illa eruditione. Videamus enim quale sit iudicium eius in oratione de permutatione, quam quinquaginta fere annis post orationem supra laudatam conscripsit. Concedit igitur ibi §§ 258 — 294 eos qui astrologiam, geometriam etc. doceant prodesse sane discipulis, sed non tantum quantum ipsi praedicent; suum iudicium haud ita abhorrere ait a vulgo, quod doctrinae atque humanitatis studia, ut quae ad vitam communem nequeant revocari, *ἀδολεσχίαν* et *μικρολογίαν* habeat. Utilitatem enim eorum nullam esse nisi quod acuant mentem, ita ut apta fiat ad meliora et praestantiora (rhetoricam scilicet) facilius ac promptius percipienda (§ 265 *ἐν τούτοις γυμνασθέντες καὶ παροξυνθέντες ῥᾷον καὶ θᾶττον τὰ σπουδαιότερα καὶ πλέονος ἄξια τῶν πραγμάτων ἀποδέχεσθαι καὶ μανθάνειν δύνανται*). Quapropter monet adulescentes ne illis studiis ingenium suum exarescere sinant neve incidant in res absurdas in quas atomorum sectatores, Empedocles, Ion, Alcmaeon, Parmenides, Melissus, alii. Porro negat eos qui natura ad virtutem ac iustitiam facti non sint ulla arte honestos ac iustos fieri posse; sola rhetorica effici ut tales aliquo modo fiant meliores. Bonos enim oratores, cum magnificas et honestas et generi humano utiles orationes consueverint conficere, in agendo quoque res honestissimas utilissimasque

[1] L. c. p. 747.

sibi electuros esse, *ὥστ᾽ ἅμα τὸ λέγειν εὖ καὶ τὸ φρονεῖν παραγενήσεται τοῖς φιλοσόφως καὶ φιλοτίμως πρὸς τοὺς λόγους διακειμένους.*

Verum ut redeamus ad Panathenaicum, in ipso prooemio, id quod cognovisse multum interest, vestigia exstant eius aemulationis. Ad Platonem igitur spectare quae § 9 leguntur intellexit Spengelius; verba haec sunt: *τὴν τύχην ὠδυράμην ταύτῃ μὲν οὐδὲν ἔχων ἐπικαλεῖν ἄλλο, πλὴν ὅτι περὶ τὴν φιλοσοφίαν ἣν προειλόμην ἀτυχίαι τινὲς καὶ συκοφαντίαι γεγόνασι, τὴν δὲ φύσιν εἰδὼς πρὸς μὲν τὰς πράξεις ἀρρωστοτέραν καὶ μαλακωτέραν οὖσαν τοῦ δέοντος, πρὸς δὲ τοὺς λόγους οὔτε τελείαν οὔτε πανταχῇ χρησίμην, ἀλλὰ δοξάσαι μὲν περὶ ἑκάστου τὴν ἀλήθειαν μᾶλλον δυναμένην τῶν εἰδέναι φασκόντων.* Vidimus enim supra Isocrati sufficere *δόξαν*, cum Plato eos qui sola opinione utantur ad veram rerum cognitionem progredi non posse ostendat (Plat. de Rep. V 477 a sq. *Οὐκοῦν ἐπεὶ ἐπὶ μὲν τῷ ὄντι γνῶσις ἦν, ἀγνωσία δ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ μὴ ὄντι, ἐπὶ τῷ μεταξὺ τούτῳ μεταξύ τι καὶ ζητητέον ἀγνοίας τε καὶ ἐπιστήμης, εἴ τι τυγχάνει ὂν τοιοῦτον; Πάνυ μὲν οὖν. Ἆρ᾽ οὖν λέγομέν τι δόξαν εἶναι; Πῶς γὰρ οὔ; Πότερον ἄλλην δύναμιν ἐπιστήμης ἢ τὴν αὐτήν; Ἄλλην. Ἐπ᾽ ἄλλῳ ἄρα τέτακται δόξα καὶ ἐπ᾽ ἄλλῳ ἐπιστήμη, κατὰ τὴν ἄλλην δύναμιν ἑκατέρα τὴν αὑτῆς.* Cf. ibid. VII 534 b et Men. 97—98). Quae insectatio e recordatione calamitatum et calumniarum paulo supra commemoratarum nata videtur esse (*ὅτι περὶ τὴν φιλοσοφίαν ἣν προειλόμην ἀτυχίαι τινὲς καὶ συκοφαντίαι γεγόνασι*), ita ut *οἱ τὴν ἀλήθειαν εἰδέναι φάσκοντες* auctores sint earum quas Isocrates accepit calamitatum. Porro conferas quae de institutione orator exponit § 26 sqq., ubi ea retractantur quae in oratione de permutatione uberius sunt explanata. De quo loco dicit Spengelius [1] haec fere: verba quoque quae legantur Panath. 26 *λέγω δὲ τὴν γεωμετρίαν καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ τοὺς διαλόγους τοὺς ἐριστικοὺς καλουμένους, οἷς οἱ μὲν νεώτεροι μᾶλλον χαίρουσι τοῦ δέοντος, τῶν δὲ πρεσβυτέρων οὐδεὶς ἔστιν ὅστις ἂν ἀνεκτοὺς αὐτοὺς εἶναι φήσειεν* ad Platonem spectent necesse esse; eius enim

[1] L. c. p. 752 sq.

dialogos, cum omnium ingeniosissime essent conscripti, animos iuvenum maxime delectasse. Ratione qua ibidem philosophi qui nullius sint usus describantur (*ὁρῶ γὰρ ἐνίους τῶν ἐπὶ τοῖς μαθήμασι τούτοις οὕτως ἀπηκριβωμένων ὥστε καὶ τοὺς ἄλλους διδάσκειν, οὔτ᾽ εὐκαίρως ταῖς ἐπιστήμαις αἷς ἔχουσι χρωμένους ἔν τε ταῖς ἄλλαις πραγματείαις ταῖς περὶ τὸν βίον ἀφρονεστέρους ὄντας τῶν μαθητῶν· ὀκνῶ γὰρ εἰπεῖν τῶν οἰκετῶν*) admoneri nos eorum quae Plato ipse in Theaeteto et in dialogo de re publica proferat[1]. Quod paulo infra omni scientia repudiata opinio recta et utilitatis studium verae eruditionis declarantur fundamenta, rursus Platonis irrisio elucet (§ 30 *τίνας οὖν καλῶ πεπαιδευμένους, ἐπειδὴ τὰς τέχνας καὶ τὰς ἐπιστήμας καὶ τὰς δυνάμεις ἀποδοκιμάζω; πρῶτον μὲν τοὺς καλῶς χρωμένους τοῖς πράγμασι τοῖς κατὰ τὴν ἡμέραν ἑκάστην προσπίπτουσι καὶ τὴν δόξαν ἐπιτυχῆ τῶν καιρῶν ἔχοντας καὶ δυναμένην ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ στοχάζεσθαι τοῦ συμφέροντος*). Iam ex ea orationis parte qua de optima Atheniensium rei publicae administratione et de rebus quae hinc ortae sint optime gestis exponitur alia amplius suggeramus evidenter contra Platonem scripta. Attendas igitur ad ea quae Lacedaemoniorum assectatoribus obicit Isocrates §§ 182—185. Dicit autem hic: *τούτου δ᾽ ἕνεκα περὶ τῆς οἰκειότητος καὶ τῶν ἡμαρτημένων εἰς αὐτοὺς διὰ πλειόνων διῆλθον, ἵν᾽ ἔρωμαι τοὺς ἀποδεχομένους ἁπάσας τὰς Σπαρτιατῶν πράξεις εἰ καὶ ταύτας ἀποδέχονται καὶ τὰς μάχας εὐσεβεῖς εἶναι νομίζουσι καὶ καλὰς τὰς πρὸς τούτους γεγενημένας.* Tum monet haec facinora neque sancta esse neque honesta neque decora iis qui praestantiam illam sibi vindicent, non quae in artibus et multis aliis rebus sic dicatur, sed verae virtutis quae viris bonis et honestis cum pietate et iusti-

[1] Ipsa Spengelii verba haec sunt: Die ganze dortige Schilderung von unpraktischen Philosophen erinnert lebhaft an das, was Platon selbst im Theaetet und der Republik vielleicht nicht ohne Beziehung auf seine Person vorbringt. — Dicit autem ille sine dubio locos hos: De Rep. 527 d *τρίτον θῶμεν ἀστρονομίαν . . . . τὸ γὰρ περὶ ὥρας εὐαισθητοτέρως ἔχειν καὶ μηνῶν καὶ ἐνιαυτῶν οὐ μόνον γεωργίᾳ οὐδὲ ναυτιλίᾳ προσήκει, ἀλλὰ καὶ στρατηγίᾳ οὐχ ἧττον. Ἡδὺς εἶ, ἦν δ᾽ ἐγώ, ὅτι ἔοικας δεδιότι τοὺς πολλούς, μὴ δοκῇς ἄχρηστα μαθήματα προστάττειν* . . . . e *ὅσοι δὲ τούτου μηδαμῇ ᾐσθημένοι εἰσίν, εἰκότως ἡγήσονταί σε λέγειν οὐδέν· ἄλλην γὰρ ἀπ᾽ αὐτῶν οὐχ ὁρῶσιν ἀξίαν λόγου ὠφέλειαν* et Theaet. 173 d — 175 b.

tia coniuncta in animis innascatur, de qua omnis sit oratio (§ 183 τῆς τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς τῶν ἀνδρῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς μετ᾽ εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ἐγγιγνομένης, περὶ ἧς ἅπας ὁ λόγος ἐστίν), et pergit § 184 ἧς ὀλιγωροῦντές τινες ἐγκωμιάζουσι τοὺς πλείω τῶν ἄλλων ἡμαρτηκότας καὶ οὐκ αἰσθάνονται τὰς διανοίας ἐπιδεικνύοντες τὰς σφετέρας αὐτῶν, ὅτι κἀκείνους ἂν ἐπαινέσειαν τοὺς πλείω μὲν κεκτημένους τῶν ἱκανῶν, ἀποκτεῖναι δ᾽ ἂν τολμήσαντας τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς αὐτῶν καὶ τοὺς ἑταίρους καὶ τοὺς κοινωνοὺς ὥστε καὶ τἀκείνων λαβεῖν. Hinc licet agnosci quosnam intellexerit orator laudatores Lacedaemoniorum. Quid ita? Quia adiuvamur in hac re investiganda eo quod neglegere dicuntur laudatores illi Lacedaemoniorum virtutem animis hominum a natura insitam (ἧς ὀλιγωροῦντές τινες ἐγκωμιάζουσι κτλ.). Si igitur ea quae supra dicta sunt, Isocratem opprobrio vertere Platoni quod veram virtutem nisi ex scientia procreari non posse doceat, tibi in memoriam reduxeris, vix te fugiet hunc locum spectare ad Socraticos vel Platonicos. Ludibrio igitur habet orator aemulos quod virtutem hominibus innatam superbe despiciant, cum qualis sit virtus quam ipsi commendent videre liceat; nam mentem suam eos aperire (τὰς διανοίας ἐπιδεικνύοντες τὰς σφετέρας αὐτῶν) Lacedaemonios, qui plura quam ceteri scelera commiserint, collaudantes. Dubitationis quod restat fortasse alicui futurum esse ut omnino tollatur confido, si alios attulerim locos; e quibus unum ad Platonem pertinere iam Spengelius vidit[1]. Est autem hic § 117 δυοῖν γὰρ πραγμάτοιν προτεινομένοιν μὴ σπουδαίοιν κρείττω τὴν αἵρεσιν εἶναι τοῦ δεινὰ ποιεῖν ἑτέρους ἢ πάσχειν αὐτοὺς καὶ τοῦ μὴ δικαίως τῶν ἄλλων ἄρχειν μᾶλλον ἢ φεύγοντας τὴν αἰτίαν ταύτην ἀδίκως Λακεδαιμονίοις δουλεύειν· ἅπερ ἅπαντες μὲν ἂν νοῦν ἔχοντες ἕλοιντο καὶ βουληθεῖεν, ὀλίγοι δ᾽ ἂν τινες τῶν προσποιουμένων εἶναι σοφῶν ἐρωτηθέντες οὐκ ἂν φήσαιεν. Verbis προσποιουμένων εἶναι σοφῶν dilucide flagellatur Plato, qui iis quae hoc loco ab Isocrate commendantur prorsus contraria laudat; e. gr. de Rep. I 335 e εἰ ἄρα τὰ ὀφειλόμενα ἑκάστῳ ἀποδιδόναι φησί τις δίκαιον εἶναι, τοῦτο δὲ δὴ νοεῖ αὐτῷ, τοῖς μὲν ἐχθροῖς βλάβην ὀφείλεσθαι παρὰ τοῦ δικαίου ἀνδρός, τοῖς δὲ φίλοις ὠφέλειαν, οὐκ ἦν σοφὸς ὁ

[1] L. c. p. 756.

ταῦτα εἰπών· οὐ γὰρ ἀληθῆ ἔλεγεν· οὐδαμοῦ γὰρ δίκαιον οὐδένα ἡμῖν ἐφάνη ὂν βλάπτειν. Cf. Gorg. 469 c *εἰ δ᾽ ἀναγκαῖον εἴη ἀδικεῖν ἢ ἀδικεῖσθαι, ἑλοίμην ἂν μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν.* Sed praeterquam quod cavillationes aliorum hic illic sparsae inveniuntur (§§ 140—142. 144), de quibus alibi erit videndum, tota orationis pars ubi de praestantissima veterum Atheniensium rei publicae forma agitur in prorsus contrariam sententiam ac dialogus ille Platonicus conscripta est. Plato igitur perfectam rem publicam quam descripsit illo dialogo exsistere nulla alia posse ratione putat, nisi ii a quibus regatur philosophiae studio sint eruditi. Philosophos esse ait debere rei publicae gubernatores; vid. de Rep. V 473 d *ἐὰν μὴ . . ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ οἱ βασιλῆς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία . . . ., οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν* et VI 499 b. Quodsi Isocratem ei rei plurimum ponderis videmus tribuere quod maiores sui propter peculiarem indolem virtutis eo pervenerint ut re publica ab omni parte perfecta ac beata uterentur (§ 130 *οἵτινες ἄπειροι πολιτειῶν ὄντες οὐ διήμαρτον αἱρούμενοι τῆς ὑπὸ πάντων ἂν ὁμολογηθείσης οὐ μόνον εἶναι κοινοτάτης καὶ δικαιοτάτης ἀλλὰ καὶ συμφορωτάτης ἅπασι καὶ τοῖς χρωμένοις ἡδίστης*), ideo eum id fecisse probabilissimum est ut fieret perspicuum tali a Platone commendata institutione omnino non opus esse ad optimam rem publicam deligendam, cum maiores sui philosophiae eius prorsus expertes ab ea minime aberraverint. Secundum propriam igitur sententiam suam supra expositam orator maiores suos inde ab origine omnium virtutum participes fuisse operam dat ut demonstret, qua de re cf. § 120 *προσήκει τοῖς ἀμφισβητοῦσιν ἀρετῆς εὐθὺς ἀπὸ γενεᾶς διαφέροντας εἶναι τῶν ἄλλων* et § 123 (de maioribus dicitur) *ὡς ἁπάσαις ταῖς ἀρεταῖς καὶ τῶν τότε καὶ τῶν νῦν διήνεγκαν.* His demum constitutis satis perspici potest quid spectet orator cum § 183 totam orationem de virtute illa animis a natura insita esse praedicet. Porro, cum Plato solos philosophos civitati lucem afferre posse contendat, Isocrates reges qui rei publicae a maioribus institutae praefuerint summis effert laudibus eisque deberi praedicat quod res publica illis temporibus bene administrata sit (§ 138 *τοῦ*

μὲν οὖν διαφερόντως τῶν ἄλλων οἰκεῖσθαι τὴν πόλιν ἡμῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον δικαίως ἂν ἐπενέγκοιμεν τὴν αἰτίαν τοῖς βασιλεύσασιν αὐτῆς, περὶ ὧν ὀλίγῳ πρότερον διελέχθην· ἐκεῖνοι γὰρ ἦσαν οἱ παιδεύσαντες τὸ πλῆθος ἐν ἀρετῇ καὶ δικαιοσύνῃ καὶ πολλῇ σωφροσύνῃ καὶ διδάξαντες ἐξ ὧν διῴκουν, ὅπερ ἐγὼ φανείην ἂν ὕστερον εἰρηκὼς ἢ 'κεῖνοι πράξαντες, ὅτι πᾶσα πολιτεία ψυχὴ πόλεώς ἐστιν). Ita Platonis praeceptis usus maiorum opponitur. Quae si recte sunt disputata, haud inconsulte Isocrates laudat maiores, quod civitatis gubernatores sibi elegerint optimos oratores, rati eos qui pro rostris optima suadere et vellent et possent omnibus in locis et omnibus de negotiis eodem animo parique prudentia esse futuros (§ 143 *ἐποιοῦντο συμβούλους καὶ προστάτας οὐ τοὺς τυχόντας ἀλλὰ τοὺς βελτίστους καὶ φρονιμωτάτους καὶ κάλλιστα βεβιωκότας, καὶ τοὺς αὐτοὺς τούτους στρατηγοὺς ᾑροῦντο καὶ πρέσβεις, εἴ που δεήσειεν, ἔπεμπον καὶ πάσας τὰς ἡγεμονίας τὰς τῆς πόλεως αὐτοῖς παρεδίδοσαν, νομίζοντες τοὺς ἐπὶ τοῦ βήματος βουλομένους καὶ δυναμένους τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν, τούτους καὶ καθ' αὑτοὺς γενομένους ἐν ἅπασι τοῖς τόποις καὶ περὶ ἁπάσας τὰς πράξεις τὴν αὐτὴν γνώμην ἕξειν· ὅπερ αὐτοῖς συνέβαινεν*). Pro opinione igitur sua bonos oratores potiores habet in re publica administranda illis a Platone commendatis philosophis.

Cum hos ita contemnit, mutuum facit cum Platone omnium rhetorum exagitatore, qui artem rhetoricam, quae a subtiliore rerum cognitione seiuncta mera esset dicendi disciplina, omnino nullam iudicabat (cf. Gorg. 462 b *καί μοι ἀπόκριναι, ὦ Σώκρατες, ... περὶ τῆς ῥητορικῆς, σὺ αὐτὴν τίνα φῂς εἶναι; . . . . Οὐδεμία ἔμοιγε δοκεῖ, ὦ Πῶλε, ὥς γε πρὸς σὲ τἀληθῆ εἰρῆσθαι*, ibid. 465 a *τέχνην δὲ αὐτὴν οὔ φημι εἶναι ἀλλ' ἐμπειρίαν, ὅτι οὐκ ἔχει λόγον οὐδένα ὧν προσφέρει, ὁποῖ' ἄττα τὴν φύσιν ἐστίν, ὥστε τὴν αἰτίαν ἑκάστου μὴ ἔχειν εἰπεῖν*. Phaedr. 260 e *οὐκ ἔστι τέχνη ἀλλ' ἄτεχνος τριβή*, ibid. 262 c, 266 d sqq.) Neminem enim docet esse eloquentem qui non didicerit quae vera essent quae falsa iudicare, ambigua distinguere, rem definiendo explicare, in partes eam tribuere etc. (Phaedr. 259 e—266 c), quae docere esse dialectices (ibid. 266 b *καὶ μέντοι καὶ τοὺς δυναμένους αὐτὸ δρᾶν εἰ μὲν ὀρθῶς ἢ μὴ προσαγορεύω, θεὸς οἶδε, καλῶ δὲ οὖν μέχρι τοῦδε*

διαλεκτικούς). Quae sola tradantur a dicendi magistris et artium scriptoribus instrumenta et ornamenta elocutionis, ea indigna esse censet propriae artis *ῥητορικῆς* nomine (ibid. 266 d—269 d. — 269 b *τὰ πρὸ τῆς τέχνης ἀναγκαῖα μαθήματα ἔχοντες ῥητορικὴν ᾠήθησαν εὑρηκέναι, καὶ ταῦτα δὴ διδάσκοντες ἄλλους ἡγοῦνταί σφισι τελέως ῥητορικὴν δεδιδάχθαι*, 266 d *πῶς φῄς; καλόν πού τι ἂν εἴη ὃ τούτων ἀπολειφθὲν ὅμως τέχνῃ λαμβάνεται κτλ.*). Inde colligas qualis tandem ei visa sit doctrina Isocratis, qui philosophorum subtilitatis prorsus expers *δόξας* laudaret et maximam in dictione atque elocutione collocaret operam.

Sed ut eo unde digressi sumus revertamur, magis etiam confirmatur sententia nostra § 131 sq., ubi Platonis doctrinam deduci in controversiam in promptu est. Legimus enim ibi: *ἣν* (scil. *ἀριστοκρατίαν*) *οἱ μὲν πολλοὶ χρησιμωτάτην οὖσαν ὥσπερ τὴν ἀπὸ τῶν τιμημάτων ἐν ταῖς πολιτείαις ἀριθμοῦσιν, οὐ δι' ἀμαθίαν ἀγνοοῦντες, ἀλλὰ διὰ τὸ μηδὲν πώποτ' αὐτοῖς μελῆσαι τῶν δεόντων. ἐγὼ δὲ φημὶ τὰς μὲν ἰδέας τῶν πολιτειῶν τρεῖς εἶναι μόνας, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, μοναρχίαν.* Plato enim in dialogi de republ. libro VIII, ubi cuique civitatis formae respondere exponit peculiarem aliquam hominis indolem, praeter optimam illam quam finxit civitatem quamque aristocratiam nominat (VIII 544 e *τὸν μὲν δὴ τῇ ἀριστοκρατίᾳ ὅμοιον διεληλύθαμεν ἤδη*) quattuor pravas exstare dicit rei publicae formas timocratiam, oligarchiam, democratiam, tyrannidem (VIII 545 b c. IX 580 b). Proxime ad perfectam civitatem accedere censet timocratiam, cum tyrannis longissime ab eius virtute absit. Quamquam Isocrates de communi iudicio hic loqui videtur, tamen hanc ipsam Platonis distinctionem ei ante oculos esse obversatam neminem effugiet. Etenim eum hoc loco opinionem indocti vulgi castigare voluisse putare vetamur verbis *οὐ δι' ἀμαθίαν ἀγνοοῦντες κτλ.* Eos vero carpi qui rei publicae vel instituendae vel gerendae artem ratione non usu teneant *ἀριθμεῖν* quod ad ratiocinationem refertur videtur indicari (*ἐν ταῖς πολιτείαις ἀριθμοῦσιν*)[1].

[1] Aristoteles et ipse aristocratiam et timocratiam (sive politiam) in rei publicae formis numeravit in Eth. Nicom. VIII 12, 1160 a 31 sqq.: *πολιτείας δ' ἔστιν εἴδη τρία, ἴσαι δὲ καὶ παρεκβάσεις, οἷον φθοραὶ τούτων· εἰσὶ δ' αἱ μὲν πολιτεῖαι βασιλεία τε καὶ ἀριστοκρατία, τρίτη δ' ἡ ἀπὸ τιμημάτων, ἣ τι-*

Atque aliorum de rebus publicis scripta ante oculos sibi fuisse orator ipse satis perspicue significat, cum existimat alios, i. e. adversarios, de politiis quae dicant multo plura habituros esse quam ipse protulerit de iis (§ 134 αἱ μὲν οὖν φύσεις καὶ δυνάμεις τῶν πολιτειῶν οὕτως ἔχουσιν, ἡγοῦμαι δὲ ταῦτα μὲν ἑτέροις πολὺ πλείους λόγους παρέξειν τῶν νῦν εἰρημένων, ἐμοὶ δ' οὐκέτι περὶ ἁπασῶν αὐτῶν εἶναι διαλεκτέον ἀλλὰ περὶ μόνης τῆς τῶν προγόνων). Eum hoc loco de Platonis de re publica dialogo cogitasse, quoniam quae in hoc ipso proferuntur cum aliis locis huius orationis partis qua optima veterum Atheniensium rei publicae forma laudatur tum paulo supra (§ 131) impugnata vidimus, iam nobis constat, et imprimis de illius dialogi libris VIII et IX; ibi enim de uniuscuiusque civitatis formae vi ac natura (cf. Panath. l. c. φύσεις καὶ δυνάμεις τῶν πολιτειῶν et περὶ ἁπασῶν αὐτῶν) copiosissime exponitur. Item ad illud potissimum opus necessario spectant verba § 111 haec: τοὺς δὲ τοιούτους (scil. Lacedaemoniorum praedicatores) ἐπειδὰν αἴσθωνται τοὺς τόπους ἅπαντας προκατειλημμένους καὶ μηδὲ πρὸς ἓν ἀντειπεῖν ἔχωσι τῶν εἰρη-

---

μοκρατικὴν λέγειν οἰκεῖον φαίνεται, πολιτείαν δ' αὐτὴν εἰώθασιν οἱ πλεῖστοι καλεῖν· τούτων δὲ βελτίστη μὲν ἡ βασιλεία, χειρίστη δ' ἡ τιμοκρατία. παρέκβασις δὲ βασιλείας μὲν τυραννίς· ἄμφω γὰρ μοναρχίαι, διαφέρουσι δὲ πλεῖστον .... ἐξ ἀριστοκρατίας δὲ εἰς ὀλιγαρχίαν, ἐκ δὲ δὴ τιμοκρατίας εἰς δημοκρατίαν. Similiter Polit. III 7. IV 2, 1289 a 26, b 9 quoque politias quae re vera exsistant sex distinguit, tres bonas βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν, πολιτείαν, totidemque vitiosas τυραννίδα, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν; verum h. l. πολιτείαν se eandem intellegi velle ac timocratiam expresse quidem non dicit. At illum ethicorum Nicomacheorum locum Isocratem respexisse quominus putemus, praeterquam quod illud scriptum a. 342 iam editum fuisse verisimile non est (vid. Zeller II² p. 159), primum id obstat quod ii quorum ratio in Panathenaico vituperatur quinque distinxisse videntur rei publicae formas, praeter tres illas quas Isocrates computat, ὀλιγαρχίαν δημοκρατίαν μοναρχίαν, aristocratiam et timocratiam; id quod optime convenire apparet cum distinctione Platonis, haud ita bene cum Aristotele, qui sex distinguat; nam βασιλείαν et τυραννίδα, quas Isocrates uno monarchiae nomine comprehendit, separatim ponit et maxime differre inter se iudicat. Praeterea, id quod maximi momenti est, qui Isocrati ante oculos obversantur omnium optimam formam existimant aristocratiam (l. c. χρησιμωτάτην οὖσαν); hoc item quadrat in Platonem (vid. supra), abhorret autem ab Aristotele, qui regnum omnibus ceteris praeponat (τούτων δὲ βελτίστη μὲν ἡ βασιλεία).

μένων, ἐπὶ τὸν λόγον οἶμαι τρέψεσθαι τὸν περὶ τῶν πολιτειῶν (cf. § 113). Atque ita oratorem instituisse laudes Atheniniensium rei publicae ut philosophi rationem impugnaret insuper colligas ex iis quae discipulus de consilio magistri aperit § 261: ἐπήνεκας γὰρ τὰς πόλεις ἀμφοτέρας . . . τὴν μὲν κατὰ τὴν δόξαν τὴν τῶν πολλῶν, ἧς οὐδεὶς τῶν ὀνομαστῶν ἀνδρῶν καταπεφρόνηκεν, ubi Platonem designari Reinhardtus vidit [1].

His igitur locis in oratione elucet controversiam esse Isocrati cum Platone. Idem invenies insuper § 84, ubi de iis obtrectatoribus (§ 85 τῶν ἐπιπλήττειν μοι τολμησόντων) qui se in oratione aequo longiorem obiurgaturi sint dicit ille haec: οὐκ ἀγνοῶ δὲ τὸ πλῆθος τῶν εἰρημένων περὶ τῆς Ἀγαμέμνονος ἀρετῆς, οὐδ' ὅτι τούτων τοσούτων ὄντων καθ' ἓν μὲν ἕκαστον εἴ τινες σκοποῖντο, τί ἂν ἀποδοκιμάσαιεν, οὐδεὶς ἂν οὐδὲν αὐτῶν ἀφελεῖν τολμήσειεν, ἐφεξῆς δ' ἀναγιγνωσκομένων ἅπαντες ἂν ἐπιτιμήσαιεν ὡς πολὺ πλείοσιν εἰρημένοις τοῦ δέοντος. Nam unumquidque per se considerare (καθ' ἓν ἕκαστον σκοπεῖσθαι) vel de singulis rebus disputare, id quod hoc loco opponitur perpetuae orationum lectioni (ἐφεξῆς ἀναγιγνώσκεσθαι), proprium est dialecticorum imprimisque Platonis, qui idem saepissime reprehendit continuae orationis μακρολογίαν ad disserendi rationem minime aptam, e. gr. Gorg. 449 b ἆρ' οὖν ἐθελήσαις ἄν, ὦ Γοργία, ὥσπερ νῦν διαλεγόμεθα διατελέσαι τὸ μὲν ἐρωτῶν, τὸ δ' ἀποκρινόμενος, τὸ δὲ μῆκος τῶν λόγων τοῦτο, οἷον καὶ Πῶλος ἤρξατο, εἰσαῦθις ἀποθέσθαι; ἀλλ' ὅπερ ὑπισχνεῖ μὴ ψεύσῃ, ἀλλὰ ἐθέλησον κατὰ βραχὺ τὸ ἐρωτώμενον ἀποκρίνεσθαι et ibid. 461 d τὴν μακρολογίαν . . ἣν καθέρξῃς ἣ τὸ πρῶτον ἐπεχείρησας χρῆσθαι. Cf. Protag. 334 c—335 d. Quo id quoque referas quod orator § 136, ubi quales eos esse velit qui se audiant exponit, multorum verborum vituperatores maxime propulsat (ἐμοὶ δὲ τῶν μὲν τοιούτων ἀκροατῶν οὐδὲν πώποτ' ἐμέλησεν, οὐδὲ τοῖς ἄλλοις τοῖς εὖ φρονοῦσιν, ἐκείνων δὲ τῶν ἅ τε προεῖπον πρὸ ἅπαντος τοῦ λόγου μνημονευσόντων τῷ τε πλήθει τῶν λεγομένων οὐκ ἐπιτιμησόντων. οὐδ' ἢν μυρίων ἐπῶν ᾖ τὸ

[1] L. c. p. 36.

μῆκος, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ αὐτοῖς εἶναι νομιούντων τοσοῦτον ἀναγνῶναι μέρος καὶ διελθεῖν ὁπόσον ἂν αὐτοὶ βουληθῶσιν). Quid tandem sibi vellet philosophus, cum longas orationes ita reiceret in disputatione, dubito an multo melius non intellexerit Isocrates quam in dialogo suo nomine inscripto Gorgias, qui, admonitus a Socrate ne amplius continua uteretur oratione, respondit haec 449 b c: *εἰσὶ μέν, ὦ Σώκρατες, ἔνιαι τῶν ἀποκρίσεων ἀναγκαῖαι διὰ μακρῶν τοὺς λόγους ποιεῖσθαι. οὐ μὴν ἀλλὰ πειράσομαί γε ὡς διὰ βραχυτάτων. καὶ γὰρ αὖ καὶ τοῦτο ἕν ἐστιν ὧν φημί, μηδένα ἂν ἐν βραχυτέροις ἐμοῦ τὰ αὐτὰ εἰπεῖν* et studet per nudas interiectiones, velut *ναί* et *οὔ*, respondere, quasi Socratis intersit ut quam brevissime dicatur, neque vero ut de rebus definiendis disseratur singillatim potius quam perpetua oratione.

Addantur insuper loci ubi de universa Platonis disputandi ac scribendi ratione contemptim iudicari videatur. Ac primum quidem verba quibus ii notantur qui nullo consilio et indecore et sine ordine de omni in quam incidant re soleant dicere, quae sic leguntur § 24: *εἰ γὰρ τοῦτ᾽ ἤδη ποιοίην, μήτε τέλος ἐπιθεὶς τοῖς γεγραμμένοις μήτε συγκλείσας τὴν ἀρχὴν τῶν ῥηθήσεσθαι μελλόντων τῇ τελευτῇ τῶν ἤδη προειρημένων, ὅμοιος ἂν εἶναι δόξαιμι τοῖς εἰκῇ καὶ φορτικῶς καὶ χύδην ὅτι ἂν ἐπέλθῃ λέγουσιν,* dicta sunt sine dubio de dialogis Platonicis. Licet enim putare rhetorem eosdem, quod expressa atque aperta partium discriptione et magna ex parte verborum ornamentis flosculisque carerent, *εἰκῇ* et *φορτικῶς* compositos esse iisque propter argumentorum varietatem et disputationis propositum in eodem sermone saepius mutatum (id quod fit e. gr. in dialogo qui Protagoras inscribitur) *χύδην ὅτι ἂν ἐπέλθῃ* tractari censuisse. Iisdem illudere credas verba § 74 *αἰσχύνομαι μὲν γάρ, εἰ τοσαῦτα περὶ τῆς Ἀγαμέμνονος ἀρετῆς προειρηκὼς μηδενὸς μνησθήσομαι τῶν ὑπ᾽ ἐκείνου πεπραγμένων, ἀλλὰ δόξω τοῖς ἀκούουσιν ὅμοιος εἶναι τοῖς ἀλαζονευομένοις καὶ λέγουσιν ὅ τι ἂν τύχωσιν;* item quae § 78 leguntur: *ἃ ᾽κεῖνος πράξας* (scil. *Ἀγαμέμνων*) *καὶ τοῖς ἄλλοις ὑποδείξας οὐχ οὕτως εὐδοκίμησεν ὡς προσῆκεν αὐτὸν διὰ τοὺς μᾶλλον ἀγαπῶντας τὰς θαυματοποιίας τῶν εὐεργεσιῶν καὶ τὰς ψευδολογίας τῆς ἀληθείας.* Atque hic quidem praestigiis et mendaciter dictis videntur designari cum

3

universa Platonis doctrina tum fabulae quibus, ut melius intellegantur, res in philosophia abstrusiores studet is illustrare. Re vera autem Platonem his locis peti eo confirmatur quod ab iis quos ita castigat Agamemnonem merita existimatione fraudatum esse Isocrates enuntiat; nam ab ea quae in quarto de legibus libro legitur vituperatione defendi hunc hoc loco ab oratore supra vidimus. Porro Panath. § 1, ubi praeterea historicorum libros (*τοὺς τὰς παλαιὰς πράξεις καὶ τοὺς πολέμους τοὺς Ἑλληνικοὺς ἐξηγουμένους*) et orationes iudiciales (*τοὺς ἁπλῶς εἰρῆσθαι δοκοῦντας καὶ μηδεμιᾶς κομψότητος μετέχοντας κτλ.*) commemorari in propatulo est, verba iis quae modo e § 78 attulimus simillima: *τῶν λόγων . . . τοὺς μυθώδεις καὶ τοὺς τερατείας καὶ ψευδολογίας μεστούς, οἷς οἱ πολλοὶ μᾶλλον χαίρουσιν ἢ τοῖς περὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας λεγομένοις* ad philosophorum imprimisque Platonis dialogos spectare Spengelius perspexit[1].

Quae omnia respicientibus nobis efficitur in Panathenaico Platonis potissimum sententias et maxime quidem doctrinam eius politicam in controversiam vocari. Cum vero contra ipsum doctrinae huius auctorem, qui anno 348 iam esset mortuus, oratio scripta esse vix possit, necessario putandum est litem fuisse oratori cum aemulis e disciplina illius profectis. Platonici igitur fuerunt qui identidem in oratione perstringuntur Lacedaemoniorum assectatores (cf. §§ 41. 62 sq. 65. 70. 106. 110—112. 155. 182. 184. 242) iidemque Atheniensium vituperatores (§§ 37. 62. 65. 70. 89. 115), quorum obloquendi et repugnandi libidine se impulsum esse Isocrates pronuntiat ut de re publica maiorum loqueretur quosque de nulla re ait tolerabiliter dicere nec de Lacedaemoniis tacere posse (§ 110 *τοὺς δὲ φαυλοτέρους οὐ μόνον τούτων ὄντας ἀλλὰ καὶ τῶν πολλῶν, καὶ περὶ μὲν ἄλλου πράγματος οὐδενὸς ἂν οἵους τε γενομένους ἀνεκτῶς εἰπεῖν, περὶ δὲ Λακεδαιμονίων οὐ δυναμένους σιωπᾶν, ἀλλὰ προσδοκῶντας, ἢν ὑπερβάλλοντας τοὺς ἐπαίνους περὶ ἐκείνων ποιῶνται, τὴν αὐτὴν λήψεσθαι δόξαν τοῖς ἁδροτέροις αὐτῶν καὶ πολὺ βελτίοσιν εἶναι δοκοῦσι*). Quinam sint illi etiam accuratius intellegetur, si quae prooemio proferuntur cum ipsius orationis argumento apte copulaverimus. Neque enim

[1] Isocr. u. Plat. p. 754.

Blassio[1] assentientes putabimus prooemium cum oratione omnino non cohaerere, ita ut loquaci senectute oratorem ad talia confuse et permixte enarranda adductum esse credendum sit. Sane quidem orator non diserte exposuit quonam vinculo contineretur prooemium cum reliqua oratione; sed res non tam obscura est ut intellegi omnino nequeat. Quominus enim Blassio adstipulemur id obstat quod Isocrates ipse in prooemio rem postulare dicit ut ab iis incipiat quae sibi ipsi evenerint (§ 5 *διαλέξομαι δὲ περί τε τῶν τῇ πόλει πεπραγμένων καὶ περὶ τῆς τῶν προγόνων ἀρετῆς οὐκ ἀπὸ τούτων ἀρξάμενος, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἐμοὶ συμβεβηκότων· ἐντεῦθεν γὰρ οἶμαι μᾶλλον ⟨ἂν⟩*[2] *κατεπείγειν*). E quibus verbis apparet ea quae in prooemio leguntur aliquo modo pertinere sane ad orationis propositum. Adde quod paulo infra orator spem sibi esse enuntiat iis quae sibi ipsi acciderint praemissis legentes se eo adducturum esse ut attentius in orationem intendant animos (§ 6 *ἐλπίζω τὸν ἐπίλοιπον χρόνον αὐτός τ' ἀλύπως διάξειν καὶ τῷ λόγῳ τῷ μέλλοντι ῥηθήσεσθαι τοὺς παρόντας μᾶλλον προσέξειν τὸν νοῦν*). Quibus verbis quid aliud oratorem exprimere in animo habuisse putemus nisi ita affectos fore legentes se sperare, si prooemium cognoverint, ut orationem penitus perspiciant? Utique constare censemus Isocratem aperte eloqui esse prooemium ad orationem ipsam satis intellegendam necessarium.

Iam quomodo prooemium et ipsa oratio inter se videantur referenda esse exponendum est. Omnia igitur quae prooemio nobiscum communicantur eo redeunt ut orator de manca quam habeat auctoritate apud cives suos queratur; duas enim species adversariorum vel obtrectatorum sibi exstare identidem conqueritur, alteram sophistarum improbissimorum, qui de fama sua detrahant, alteram imperitorum, qui se talem qualem a calumniatoribus illis audiverint iudicent (§ 5 *πειρώμενος γὰρ ἀναμαρτήτως ζῆν καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλύπως, οὐδένα διαλέλοιπα χρόνον ὑπὸ μὲν τῶν σοφιστῶν τῶν ἀδοκίμων καὶ πονηρῶν διαβαλλόμενος, ὑπ' ἄλλων δέ τινων οὐχ οἷός εἰμι γιγνωσκόμενος ἀλλὰ τοιοῦτος ὑπολαμβανόμενος οἷον παρ'*

[1] Att. Bereds. II. p. 293.

[2] *ἂν* addi propter sententiam videtur necessarium esse, praesertim cum in cod. Urbin. hic duae vel tres litterae deletae sint.

ἑτέρων ἀκούσωσιν et § 9 περὶ τὴν φιλοσοφίαν ἣν προειλόμην ἀτυχίαι τινὲς καὶ συκοφαντίαι γεγόνασι. Simili modo infra § 15 se iis postponi expostulat oratoribus qui minuta tantum et privata negotia tractantes eo procedant audaciae ut non rei publicae utilitatem sed quaestum et sordes suas spectent in contionibus habendis, quamquam ipse de maioribus ac pulchrioribus quam illi verba faciat i. e. περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων (§ 11). Causam vero calumniarum et mendaciorum quibus laus sua contaminetur inimicitias esse sophistarum gloriosorum (§ 21 ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἀλόγως ὠδυράμην ἐν ἀρχῇ τὴν ἀτυχίαν τὴν παρακολουθοῦσάν μοι πάντα τὸν χρόνον ἐν τοῖς τοιούτοις· αὕτη γάρ ἐστιν αἰτία καὶ τῆς ψευδολογίας τῆς περί με γιγνομένης καὶ τῶν διαβολῶν καὶ τοῦ φθόνου καὶ τοῦ μὴ δύνασθαί με τυχεῖν τῆς δόξης ἧς ἄξιός εἰμι, μηδ' ὁμολογουμένης μηδ' ἣν ἔχουσί τινες τῶν πεπλησιακότων μοι καὶ πανταχῇ τεθεωρηκότων ἡμᾶς). Summam igitur prooemii eo videmus contineri quod Isocrates sophistarum quos dicit inimicitias impedivisse queritur quominus laudem qua dignus esset adipisceretur; et maximo dolori ei fuisse docemur quod adversariorum suorum obtrectationibus factum esset ut civium quoque imperitorum nonnulli in prorsus falsam opinionem de se adducerentur. Qualem dicat falsam imperitorum de se opinionem intelleges e § 18 sq., ubi, utpote qua recentissime divulgata sit, illa profertur sophistae gloriosissimi, quem Aristotelem esse supra exposuimus, criminatio; accusavisse autem hunc legimus oratorem quod studia Homeri et Hesiodi contemneret et disciplinas omnium aliorum everteret et omnes diceret hariolari praeter eos qui a se essent instituti (§ 19 ὡς ἐγὼ πάντων καταφρονῶ τῶν τοιούτων, καὶ τάς τε φιλοσοφίας τὰς τῶν ἄλλων καὶ τὰς παιδείας ἁπάσας ἀναιρῶ καὶ φημὶ πάντας ληρεῖν πλὴν τοὺς μετεσχηκότας τῆς ἐμῆς διατριβῆς). Quibus ita dictis simul exprobratum est Isocrati quod contemneret educationem maiorum, ut quae Homeri et Hesiodi carminum lectione maxime contineretur. Hoc ipsum falsum ne verum esse crederent cives sui oratoris plurimum interfuisse colligitur e § 26, ubi multum abesse confirmat ut educationem maiorum spernat (τῆς μὲν οὖν παιδείας τῆς ὑπὸ τῶν προγόνων καταλειφθείσης τοσούτου δέω καταφρονεῖν ὥστε καὶ τὴν ἐφ' ἡμῶν κατασταθεῖσαν ἐπαινῶ). Quodsi reputamus in oratione ipsa summis

laudibus efferri maiores ab oratore, facile eo adducimur ut credamus hunc id praecipue efficere voluisse Panathenaico ut falsam illam criminationem adversariorum suorum dilueret et quae obsisterent quominus laude qua dignus esset potiretur tolleret. Hoc re vera propositum sibi esse orator ipse videtur significare his verbis § 37 sq.: *ἀλλ' ὅμως οὐδὲν μᾶλλον ἀποστατέον αὐτῶν ἐστιν ἀλλ' ἐπιτελεστέον, ἤν περ ἔτι ζῆν δυνηθῶμεν, ἄλλως τε καὶ πολλῶν με παροξυνόντων γράφειν αὐτόν . . . ., πάντων δὲ μάλιστα τῆς ἡλικίας τῆς παρούσης, ἣ τοὺς ἄλλους πέφυκεν ἀποτρέπειν· ἐλπίζω γάρ, ἢν μὲν κατορθώσω, μείζω λήψεσθαι δόξαν τῆς ὑπαρχούσης.* Fatetur enim hoc loco orator se id consequi conaturum esse oratione sua ut aetate longe provectus gloriae usque ad id tempus sibi denegatae tandem fiat particeps. Iam ut rem complectamur, prooemio censemus oratorem animos legentium praeparare voluisse ad consilium quod hac oratione sibi proposuisset recte intellegendum, ita vero ut quam male et iniuste adversarii de se existimarent exponens cives suos ab illis alienaret sibique conciliaret et attente audientibus iis uteretur. Ita enim accipienda videntur esse verba § 6 *βούλομαι οὖν προδιαλεχθῆναι περί τ' ἐμαυτοῦ καὶ περὶ τῶν οὕτω πρός με διακειμένων, ἵν', ἢν πως οἷός τε γένωμαι, τοὺς μὲν παύσω βλασφημοῦντας, τοὺς δ' εἰδέναι ποιήσω περὶ ἃ τυγχάνω διατρίβων.* Orationem vero ipsam eo spectare iudicamus ut Isocrates, laudatis maiorum virtutibus quam alienus sit a contemnenda eorum educatione ostendens, illam sophistarum criminationem refellat et meritam gloriam ad id tempus ab obtrectatoribus fraudatam consequatur. Haec nostra de ratione Panathenaici sententia § 272, quo loco quid sibi velit oratio sua paucis complectitur Isocrates, videtur confirmari, cum dicat se adversarios suos monere voluisse ne amplius vera esse iudicia stultorum hominum putarent neve de his quae omnino ignorarent temere pronuntiarent (*συμβουλεῦσαι δὲ τοῖς τἀναντία τούτων γιγνώσκουσι πρῶτον μὲν μὴ πιστεύειν ταῖς αὐτῶν γνώμαις μηδὲ νομίζειν ἀληθεῖς εἶναι τὰς κρίσεις τὰς ὑπὸ τῶν ῥαθυμούντων γιγνομένας, ἔπειτα μὴ προπετῶς ἀποφαίνεσθαι περὶ ὧν οὐδὲν ἴσασιν, ἀλλὰ περιμένειν ἕως ἂν ὁμονοῆσαι δυνηθῶσι τοῖς τῶν ἐπιδεικνυμένων πολλὴν ἐμπειρίαν ἔχουσιν*). Ut autem hoc ipsum efficeret ut cives in posterum rectius de se iudicarent neque amplius calumniatoribus aures prae-

berent, prorsus aptum elegit orator orationis argumentum, primum quod ex eo copia ei fit doctrinae suae illustrandae et imprimis quidem quid de re publica sentiat exponendi, deinde quod inde facultas ei datur cum laude maiorum eos adversariorum qui imperitia ei invidebant placandi, tum opiniones aemulorum oppugnandi, ita vero ut sententia sua cum illis comparata quantopere ipse patriae eiusque institutorum amore praestet illis ostendat. Nam sophistas vel Aristotelem eiusque studiosos, de quorum obtrectationibus et aemulationibus in prooemio queritur Isocrates, et Lacedaemoniorum laudatores vel Platonicos, quorum sententias identidem impugnari vidimus in oratione ipsa, eosdem esse pro certo sumimus.

Rem ita se habere in oratione satis clare indicatur. In memoriam enim nobis reducamus quae ab Isocrate de Aristotele laudis suae oratoriae aemulo dicta esse supra statuimus § 16 verba haec: *τῶν οἰομένων διαφέρειν καὶ ζηλούντων ἐμὲ καὶ μιμεῖσθαι γλιχομένων τινές.* Eadem fere enim verba et de eodem sine dubio pronuntiata iterum leguntur § 155 *ὡς δὲ καὶ τὴν ἐμπειρίαν τὴν περὶ τὸν πόλεμον οὐ πρότερον ἤσκησαν οὐδ' ἄμεινον ἐχρήσαντο Σπαρτιᾶται τῶν ἡμετέρων ἐκ τῶν ἀγώνων καὶ τῶν πολέμων τῶν ὁμολογουμένων γενέσθαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὕτως οἶμαι σαφῶς ἐπιδείξειν ὥστε μήτε τοὺς ἀνοήτως λακωνίζοντας ἀντειπεῖν δυνήσεσθαι τοῖς ῥηθεῖσι μήτε τοὺς τἀμά τε θαυμάζοντας καὶ βασκαίνοντας καὶ μιμεῖσθαι γλιχομένους.* Ubi eos quos in Lyceo disputasse et maledixisse sibi orator narrat ex numero esse laconistarum quorum sententiae perstringuntur in oratione e tota loci cohaerentia fit manifestum. Nam quae ex nimia Lacedaemoniorum admiratione virtutem bellicam Atheniensium laudanti sibi illi obiecturi sint se diluturum esse orator hoc loco aperte dicit. Tum vero ut intellegatur Aristotelem eiusque sectatores maxime peti in Panathenaico, magni momenti ea quoque sunt quae in extrema oratione discipulus profert contradicens, ubi magistro ille suadet ut edat orationem omnibus quae de ea disputata sint adiunctis, et quid spectet oratio aperit his verbis § 263: (*συμβουλεύω γάρ σοι . . . τὸν λόγον . . . διαδιδόναι τοῖς βουλομένοις λαμβάνειν*), *εἴπερ βούλει χαρίσασθαι μὲν τοῖς ἐπιεικεστάτοις τῶν Ἑλλήνων καὶ τοῖς ὡς ἀληθῶς φιλοσοφοῦσιν ἀλλὰ μὴ προσποιουμένοις, λυπῆσαι δὲ τοὺς θαυμάζοντας μὲν τὰ σὰ μᾶλλον*

τῶν ἄλλων, λοιδορουμένους δὲ τοῖς λόγοις τοῖς σοῖς ἐν τοῖς ὄχλοις τοῖς πανηγυρικοῖς, ἐν οἷς πλείους εἰσὶν οἱ καθεύδοντες τῶν ἀκροωμένων, καὶ προσδοκῶντας, ἢν παρακρούσωνται τοὺς τοιούτους, ἐναμίλλους τοὺς αὑτῶν γενήσεσθαι τοῖς ὑπὸ σοῦ γεγραμμένοις, κακῶς εἰδότας ὅτι πλέον ἀπολελειμμένοι τῶν σῶν εἰσιν ἢ τῆς Ὁμήρου δόξης οἱ περὶ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ ποίησιν γεγονότες. Iidem enim hic commemorantur qui in prooemio, nisi vero Isocrates admiratores sui simul et orationum suarum obtrectatores alibi alios nominat (cf. § 17). Quod ut hi dolore afficiantur oratione discipulus exspectat, eo certe efficitur hanc eam materiem continere quae molestiam iis exhibeat vel Aristotelem eiusque cultores maxime in ea flagellari. Atque inde quod discipuli extrema oratio redit ad eos obiurgatores de quibus in prooemio queritur Isocrates iudicare licet quae in Lyceo acciderunt causam primariam fuisse cur Panathenaicus scriberetur. Animadvertas quoque hoc loco discipuli studium in eo positum ut magistrum consolatione levaret: cum igitur Isocrates ex ea re maximum dolorem cepisset quod obiurgationibus illis permultos eorum qui aderant a se alienatos esse audiverat (§ 19 sq. *τούτων δὲ ῥηθέντων ἀηδῶς τινας τῶν παρόντων διατεθῆναι πρὸς ἡμᾶς· ὡς μὲν οὖν ἐλυπήθην καὶ συνεταράχθην ἀκούσας ἀποδέξασθαί τινας τοὺς λόγους τούτους οὐκ ἂν δυναίμην εἰπεῖν*), illudit hic auditoria sophistarum turbas panegyricas ea dicens, in quibus plures sint qui dormiant quam qui animum attendant (§ 263 *ἐν τοῖς ὄχλοις τοῖς πανηγυρικοῖς, ἐν οἷς πλείους εἰσὶν οἱ καθεύδοντες τῶν ἀκροωμένων*). Ipsos vero aemulos spe quam habeant fore ut Isocratis scribendi laudem adaequent ait frustrari; nam longius abesse eos ab illo quam ceteros poetas epicos ab Homero (ibid. *κακῶς εἰδότας ὅτι πλέον ἀπολελειμμένοι τῶν σῶν εἰσιν ἢ τῆς Ὁμήρου δόξης οἱ περὶ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ ποίησιν γεγονότες*). Iam attendas ad § 135, ubi leguntur haec gravissima: *ἔσται δ' ὁ λόγος τοῖς μὲν ἡδέως ἂν ἀκούσασι πολιτείαν χρηστὴν ἐμοῦ διεξιόντος οὔτ' ὀχληρὸς. οὔτ' ἄκαιρος ἀλλὰ σύμμετρος καὶ προσήκων τοῖς ἔμπροσθεν, τοῖς δὲ μὴ χαίρουσι τοῖς μετὰ πολλῆς σπουδῆς εἰρημένοις ἀλλὰ τοῖς ἐν ταῖς πανηγύρεσι μάλιστα μὲν λοιδορουμένοις, ἢν δ' ἀπόσχωνται τῆς μανίας ταύτης, ἐγκωμιάζουσιν ἢ τὰ φαυλότατα τῶν ὄντων ἢ τοὺς παρανομωτάτους τῶν γεγενημένων, τούτοις*

δ' αὐτὸν οἶμαι δόξειν πολὺ μακρότερον εἶναι τοῦ δέοντος. Eos igitur cum dicit qui in totius populi conventibus plerumque convicientur, cum vero de hac insania desistant, laudibus efferant aut instituta pessima aut eorum qui exstiterint scelestissimos, nisi omnia me fallunt, orator iterum designat Aristotelem eiusque sectatores. Quod conicio ex verbis ἐν ταῖς πανηγύρεσι μάλιστα μὲν λοιδορουμένοις, quae ad id quod in Lyceo accidisse in prooemio legimus spectare censeo. Ἐν πανηγύρει autem (cf. § 263 ἐν τοῖς ὄχλοις τοῖς πανηγυρικοῖς), quod vocabulum de totius populi conventu proprie usurpatur, illos probra iecisse Isocrates dicere potuit, quia tum non coram solis discipulis, sed in magna hominum frequentia recitaverant. Τὰ φαυλότατα τῶν ὄντων vero a conviciatoribus illis laudata intellego studia philosophorum (cf. § 26 sq.), et τοὺς παρανομωτάτους τῶν γεγενημένων utique orator dicit Lacedaemonios, quos multa turpiter gessisse in praecedente oratione exposuit. Itaque ex hóc quoque loco sophistas qui in prooemio commemorantur et Lacedaemoniorum laudatores eosdem esse apparet.

Iam ad liquidum fere perductum esse censeo quae in orationis contextu identidem vidimus impugnata, Platonis rei publicae instituendae et gerendae doctrinam imprimisque studium eius Lacedaemoniorum, ea reprehendi in Aristotele et qui alii designantur sophistae. Quos pro Platonicis esse Isocrati vel inde intellegitur quod in ipso prooemio, ut supra demonstravimus, Platonis decretorum praeceptorumque inveniuntur irrisiones quae sine dubio ad illos spectent. Praeter Aristotelem autem ceteros quoque illos sophistas qui dicuntur e disciplina Academicorum fuisse probabilissimum est. Facile autem cogitamus de Xenocrate [1], cui tum quidem summa erat familiaritas et consuetudo cum Aristotele, quem post Platonem mortuum in Asiam proficiscentem comitatus est [2]. Item de Theophrasto, quem primo Platonis, postea Aristotelis auditorem fuisse accepimus (Diog. Laert. V 36 ἀκούσας Πλάτωνος μετέστη πρὸς Ἀριστοτέλη); is et ipse rhetoricam tractavit (Cic. de div. II 4 Theophrastus itemque Aristoteles cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerunt; Quint. III 1, 15 Theophrastus quoque, Ari-

[1] Vid. Teichm. l. c. p. 267 sq.

[2] Zeller II² p. 16.

stotelis discipulus, de rhetorice diligenter scripsit). At dubitaverit forsitan quispiam num putare liceat Isocratem tam integrum Platonicum existimasse Aristotelem, principem Peripateticorum, ut Platonem castigans illum vellet impugnare. Quod fieri sane non potuisset, si iam eo quo Panathenaicus scriptus est tempore Aristoteles se aperte adversarium Academiae professus esset. Sed consentiunt viri docti eum inde ab anno 335 demum, cum e Macedonia Athenas redisset, propriae philosophorum scholae praefuisse inimicitiasque exercuisse cum Academicis [1]; tum vero cum primo in ea urbe commoraretur dicendi artem tantum praecepisse eum, ita ut cum Isocrate, qui tum in fastigio staret gloriae suae, contenderet [2]. Neque gravissima eius scripta, e quibus doctrinam illius a magistro diversam esse orator intellegere posset, tum iam edita fuisse verisimile est. Omnia enim quae quidem ad nos pervenerunt posteriore demum tempore conscripta esse non sine idonea ratione Zeller censuit [3]. Quae vero Isocrate vivo iam prodisse consentaneum est eius scripta, ea more Platonis etiam in dialogi formam redacta erant [4]. Licet autem vel ex his operum eius primitiis vir philosophiae studio eruditus aliquis intellegere potuerit scriptorem imprimis quidem de ideis sive rerum formis non idem sentire ac magister, certe tamen Isocrates, quippe qui a subtiliore rerum cognitione alienissimus esset, cogitationes ibi prolatas ita ut internosceret inter Aristotelem et Platonem perspicere nequivit. Huic rei documento quoque est ratio Cephisodori, Isocratis discipuli, qui magistrum adversus Aristotelem quattuor libris defendit; eum enim et ipsum, cum in Aristotelica doctrina plane hospes esset et peregrinus, Aristotelem cum Platone sentire ratum illum quidem impugnasse, at hunc petivisse multis verbis narrat Eusebius (Praep. evang. XIV 6 *Κηφισόδωρος ἐπειδὴ ὑπ᾽ Ἀριστοτέλους βαλλόμενον ἑαυτῷ τὸν διδάσκαλον Ἰσοκράτην ἑώρα, αὐτοῦ μὲν Ἀριστοτέλους ἦν ἀμαθὴς καὶ ἄπειρος, ὑπὸ δὲ τοῦ καθορᾶν ἔνδοξα τὰ Πλάτωνος ὑπάρχοντα, οἰηθεὶς κατὰ Πλάτωνα τὸν Ἀριστοτέλην φιλοσοφεῖν, ἐπολέμει μὲν Ἀριστοτέλει, ἔβαλλε δὲ Πλάτωνα καὶ κατηγόρει ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἰδεῶν, τελευτῶν εἰς τὰ ἄλλα, ἃ οὐδ᾽ αὐτὸς ᾔδει, ἀλλὰ τὰ νομιζό-*

---

[1] Zeller II² p. 17.

[2] Grote l. c. p. 25 sq.

[3] L. c. p. 156 sqq.

[4] Ibid. pp. 19 et 59.

μενα ἀμφ' αὐτῶν ἢ λέγεται ὑπονοῶν. πλὴν οὗτος μὲν ὁ Κηφισόδωρος ᾧ ἐπολέμει μὴ μαχόμενος, ἐμάχετο ᾗ μὴ πολεμεῖν ἐβούλετο). Item Isocrates, cum Aristotelis praecipue sententiam politicam in controversiam vocare sibi proposuisset, quae in eo reprehenderet sumpsit ex Platonis de re publica et de legibus libris praeclarissime scriptis, quia sententias ibi propositas ab illo quoque probari putabat. Et profecto quod in Panathenaico maxime reprehenditur, studium Lacedaemoniorum, in philosopho Stagirita non minus erat quam in Platone; laudat enim ille eorum instituta multis locis (cf. Polit. II 1265 b 30 *τάχα γὰρ τὴν τῶν Λακώνων τις ἂν ἐπαινέσειε μᾶλλον, ἢ κἂν ἄλλην τινὰ ἀριστοκρατικωτέραν*, 1272 b 29. 1273 b 26).

Nihil igitur obstat quominus in ipsa oratione eosdem atque in prooemio, Aristotelem eiusque assectatores, statuamus impugnari. Neque vero iam cuiquam offensioni erit id quod supra de via quam ingressus esset Isocrates, ut illos redargueret melioraque doceret de se ipso cives suos, suspicati sumus. Diximus enim ibi oratorem in animo habuisse sententia sua cum illis comparata quantopere ipse praestaret patriae eiusque institutorum amore ostendere. Quemadmodum igitur hoc factum esse credamus? Nempe ita ut Isocrates adversariis suis improbitatem Lacedaemoniorum ab iis collaudatorum obiceret eaque re qualis esset eorum honestatis sensus aperiret. Quo intendisse oratorem indicatur § 182 *τούτου δ' ἕνεκα περὶ τῆς οἰκειότητος καὶ τῶν ἡμαρτημένων εἰς αὐτοὺς διὰ πλειόνων διῆλθον, ἵν' ἔρωμαι τοὺς ἀποδεχομένους ἁπάσας τὰς Σπαρτιατῶν πράξεις εἰ καὶ ταύτας ἀποδέχονται καὶ τὰς μάχας εὐσεβεῖς εἶναι νομίζουσι καὶ καλὰς τὰς πρὸς τούτους γεγενημένας.*

Quae cum ita sint, ex omnibus quae hucusque exposita sunt Panathenaicum defensionem esse efficitur eo quidem consilio ab Isocrate scriptam ut existimationem suam ab Aristotele potissimum oppugnatam defenderet obtrectationesque eius obtereret. Summo autem studio adnititur in ea defensione orator ut ingenii sui excellentia ac praestantia appareat (cf. § 3, ubi sibi ita dicendum esse praedicat *ὡς ἅπαντες μὲν ἂν ἐλπίσειαν, εἰ βουληθεῖεν, οὐδεὶς δ' ἂν δυνηθείη ῥᾳδίως πλὴν τῶν πονεῖν ἐθελόντων καὶ σφόδρα προσεχόντων τὸν νοῦν*, praeterea 11. 15). Etenim Aristoteles con-

temptim de ingenio eius iudicaverat[1]. Ad inanem autem sermonis elegantiam transtulisse Isocratem disputationes suas cum ille existimaverit, concludere licet eum res et sententias ab oratore prolatas nullas iudicavisse. Et maxime quidem philosophiae speciem quam hic sibi sumeret illusam esse a philosopho consentaneum est. Nam cum Isocrates maximam curam poneret in elocutione praecipueque arteficiosam verborum structuram quaereret et ad numerum conclusionem, quod concinnas magis sententias exquireret quam probabiles philosophus suo iure ei obicere potuit[2]. Ab hac obiectatione fortasse ille sese defendere studet cum praedicat se concinnitati minus operam dare quam ut virtute digne loquatur atque prudenti de ipsis rebus consilio prosit § 86 *ὅπως δὲ ταύτης* (*τῆς ἀρετῆς*) *ἀξίως ἐρῶ μᾶλλον σπουδάζων ἢ περὶ τὴν τοῦ λόγου συμμετρίαν καὶ ταῦτα σαφῶς εἰδὼς τὴν μὲν περὶ τὸν λόγον ἀκαιρίαν ἀδοξότερον ἐμὲ ποιήσουσαν, τὴν δὲ περὶ τὰς πράξεις εὐβουλίαν αὐτοὺς τοὺς ἐπαινουμένους ὠφελήσουσαν κτλ.* Cf. § 2 *νῦν δ' οὐδ' ὁπωσοῦν τοὺς τοιούτους*, scil. orationes ornate et arteficiose compositas.

Quoniam qui maxime in oratione impugnarentur investigavimus, restat ut locos quibus praeterea in oratores quosdam orator invehitur colligamus. Isocrates igitur, qui ipse prae animo timido 'forensi luce caruit' (cf. § 9 *τὴν δὲ φύσιν εἰδὼς . . . . εἰπεῖν περὶ τῶν αὐτῶν τούτων ἐν συλλόγῳ πολλῶν ἀνθρώπων ἁπασῶν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἀπολελειμμένην*), suasiones suas quanto praestent studet demonstrare orationibus iis quae in forensibus disceptationibus iudiciorum ac deliberationum versentur. Eo autem maiorem sibi laudem quam iis qui in contionem ascendant praedicat deberi, de

[1] Cic. de orat. 35 141 itaque ipse Aristoteles cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod ille suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae versumque quendam Philoctetae paulo secus dixit. Ille enim turpe sibi ait esse tacere cum barbaros, hic autem cum Isocratem pateretur dicere.

[2] Cf. Grote Arist. p. 24: He appears to have impugned the Isocratean discourses partly as containing improper dogmas, partly as specimens of mere unimpressive elegance intended for show, pomp and immediate admiration from the hearer — ad implendas aures —, but destitute both of comprehensive theory and of applicability to any useful purpose.

quo maioribus rebus et pulchrioribus quam illi dixerit (§ 11 *προσήκειν ᾤμην μοι τοσούτῳ μᾶλλον τιμᾶσθαι τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα παριόντων ὅσῳ περ περὶ μειζόνων καὶ καλλιόνων ἢ 'κεῖνοι τοὺς λόγους ἐποιούμην*). Atque ad eos imprimis qui in genere iudiciali (quod graece *δικανικόν* vocatur) versentur pertinent § 11 verba haec: *οὐ περὶ μικρῶν τὴν προαίρεσιν ποιούμενος οὐδὲ περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων οὐδὲ περὶ ὧν ἄλλοι τινὲς ληροῦσιν, ἀλλὰ περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ βασιλικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων*, ubi de iis qui in causis minutis et privatis contractibus versentur orator contemptim loquitur, cum ipse de Graeciae statu regumque et rerum publicarum negotiis scripserit (cf. § 2 *τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι συμβουλεύοντας*, scil. *λόγους*). Eorundem orationes aperte significat § 1 verbis *τοὺς ἁπλῶς εἰρῆσθαι δοκοῦντας καὶ μηδεμίας κομψότητος μετέχοντας, οὓς οἱ δεινοὶ περὶ τοὺς ἀγῶνας παραινοῦσι τοῖς νεωτέροις μελετᾶν, εἴπερ βούλονται πλέον ἔχειν τῶν ἀντιδίκων*, earumque siccitati et simplicitati opponit copiam et ornamenta verborum quibus ipse orationes solitus sit distinguere (§ 2 *καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας, οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν*). Et maxime haec quidem cadunt in eos qui e Lysiae ludo exierunt, quippe cuius in dicendo subtilitas ac tenuitas praeter ceteros laudetur[1]. Et rebus igitur et verbis praestare semet iis qui in iudiciis dicere soleant orator gloriatur[2]. Genus autem deliberativum sive *δημηγορικὸν* qui colunt propter morum consiliorumque pravitatem acerrime proscinduntur. Hos maximam partem in contione dicentes non rei publicae utilitati, sed suo ipsorum commodo inservire censet (§ 12 *πάντες ἴσασι τῶν μὲν ῥητόρων τοὺς πολλοὺς οὐχ ὑπὲρ τῶν τῇ πόλει συμφερόντων ἀλλ' ὑπὲρ ὧν αὐτοὶ λήψεσθαι προσδοκῶσι*

---

[1] Cic. Brut. 35 Lysias egregie subtilis scriptor; de opt. gen. or. 9 imitemur Lysiam et eius quidem tenuitatem potissimum; est enim multis locis grandior, sed quia et privatus ille plerasque et eas ipsas aliis et parvarum rerum causulas scripsit, videtur esse ieiunior, cum se ipse consulto ad minutarum causarum genera limaverit.

[2] Cf. quae de Isocratis cum ipso Lysia simultate exponit Reinhardt l. c. p. 2 sqq.

δημηγορεῖν τολμῶντας) et pro rostris aut sibi ipsis ait maledicere de satisdatione aut socios vexare aut aliorum quemlibet in falsam suspicionem adducere (§ 13 τοὺς μὲν ἢ λοιδορουμένους ἐν ταῖς ἐκκλησίαις περὶ μεσεγγυήματας σφίσιν αὐτοῖς ἢ λυμαινομένους τοὺς συμμάχους ἢ τῶν ἄλλων ὃν ἂν τύχωσι συκοφαντοῦντας). Atque huius quidem vituperationis locus alter et tertius probabiliter spectant ad illustrem eam factionem cuius princeps Demosthenes iis temporibus assidue ad bellum contra Philippum, regem Macedonum, gerendum cives excitabat, id quod indicatur vel iis quae Isocrates de suis contrariis studiis illis opponit, unde se meliora suadere cives cognoscant (ibid. ἐμὲ δὲ τῶν λόγων ἡγεμόνα τούτων γεγενημένον τῶν παρακαλούντων τοὺς Ἕλληνας ἐπί τε τὴν στρατείαν τὴν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους). Hic enim callida Philippi consilia ita non perspexit ut eam quae sibi maxime obversaretur universae Graeciae consensionem belli contra barbaros gerendi illum perfecturum esse confidenter speraret salva scilicet Atheniensium libertate. Quare Demosthenes eiusque amici, qui coeptis regis occurrerent et dolos machinasque eius aperirent, συκοφαντίας exercere ei videbantur. Civitatum autem foederatarum vexationes iisdem obicere potuit orator, quia milites mercennarii his ipsis auctoribus instructi cum damno et spoliatione ipsorum Atheniensium sociorum sustentabantur (cf. Demosth. IV 24 ἐξ οὗ δ' αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ ξενικὰ ἡμῖν στρατεύεται τοὺς φίλους νικᾷ καὶ τοὺς συμμάχους, οἱ δ' ἐχθροὶ μείζονες τοῦ δέοντος γεγόνασιν et Isocrat. VIII 46 εἰς τοῦτο δὲ μωρίας ἐληλύθαμεν ὥστ' αὐτοὶ μὲν ἐνδεεῖς τῶν καθ' ἡμέραν ἐσμέν, ξενοτροφεῖν δ' ἐπικεχειρήκαμεν καὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν λυμαινόμεθα καὶ δασμολογοῦμεν, ἵνα τοῖς ἁπάντων ἀνθρώπων κοινοῖς ἐχθροῖς τὸν μισθὸν ἐκπορίζωμεν). Quoniam igitur ab iis qui ab illa ipsa parte stabant Isocrates de re publica maxime dissentiebat, in eorundem numero potissimum nobis investigandi erunt credo δημηγοροὶ ii quoque qui § 139 sqq. propter morum turpitudinem praecipue et indignitatem flagellantur et deridentur. Et profecto, etsi eius factionis ipsorum principum, Demosthenis et Lycurgi, et abstinentia et probitas supra omnem suspicionem posita erant, tamen ex illis fuerunt quorum mores offensione haud carerent[1]. Etenim quales

---

[1] Vid. Schaefer Demosth. u. s. Zeit. II p. 312.

ibi describuntur nequissimi et turpissimi publici consilii auctores et regendae civitatis duces, *οἷς οὐδεὶς ἂν οὐδὲν τῶν ἰδίων ἐπιτρέψειεν* (§ 139), tales aliquatenus fuisse accepimus Timarchum et Hegesandrum, quorum ille, *διάσημος ὢν ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ δημηγορῶν* (Arg. I ad Aesch. orat. I), primo peculatus accusatus triginta minis multatus est, deinde ab Aeschine propter impudicitiam et quod patrimonium effudisset in iudicium vocatus capite est deminutus [1] (cf. § 140 *μηδ' ἀνέξονται τὴν φωνὴν τῶν τὰ μὲν σώματα τὰ σφέτερ' αὐτῶν ἐπονειδίστως διατιθεμένων, συμβουλεύειν δὲ τοῖς ἄλλοις ἀξιούντων ...., μηδὲ τῶν ἃ μὲν παρὰ τῶν πατέρων παρέλαβον εἰς αἰσχρὰς ἡδονὰς ἀνηλωκότων, ἐκ δὲ τῶν κοινῶν ταῖς ἰδίαις ἀπορίαις βοηθεῖν ζητούντων*); alter et ipse vir erat libidinosus et *ταμιὰς τῶν τῆς θεοῦ* delectus pecunias publicas suppressisse dicebatur [2] (cf. § 141 *ἀπείργειν δεῖ ἀπὸ τοῦ συμβουλεύειν τοὺς τὰ μὲν τῶν ἄλλων κτήματα τῆς πόλεως εἶναι φάσκοντας, τὰ δὲ ταύτης ἴδια κλέπτειν καὶ διαρπάζειν τολμῶντας*). Neque Hegesippi, fratris huius, fama maculis erat vacua. Hyperides Demostheni in eloquentia proximus fuit et vir incorruptus, sed corporis voluptatibus valde deditus [3]. Verumtamen perditiores multo et sordidiores erant maximam partem ii qui partes regis Macedonum sequebantur, Philocrates, Demades, alii [4]. Ceteroqui eaedem incusationes hoc loco iterantur quibus haud dubie studia ac consilia Demosthenis eiusque amicorum peti supra demonstravimus, quod civitatem in odium adducant et ceteros Graecos vexent ac suspectos reddant (§ 141 sq. *φιλεῖν μὲν τὸν δῆμον προσποιουμένους, ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων ἁπάντων αὐτὸν μισεῖσθαι ποιοῦντας καὶ λόγῳ μὲν δεδιότας ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων, ἔργῳ δὲ λυμαινομένους καὶ συκοφαντοῦντας*). Quae iam sequuntur h. l. verba *καὶ διατιθέντας αὐτοὺς οὕτω πρὸς ἡμᾶς ὥστε τῶν πόλεων τὰς εἰς τὸν πόλεμον καθισταμένας ἥδιον ἂν καὶ θᾶττον ἐνίας εἰσδέξασθαι τοὺς πολιορκοῦντας ἢ τὴν παρ' ἡμῶν βοήθειαν* irrisionem continere defendo maxime ipsius Demosthenis; hoc enim imprimis auctore auxilia missa erant quae Olynthum aliasque Chalcidicae urbes a Philippo defenderent (vid. oratt. eius Olynthiacas tres), idque frustra; neque enim impedire

[1] Cf. Schaefer l. c. pp. 79. 314 sqq. 321.
[2] Ibid. p. 310 sq.
[3] Ibid. pp. 305. 310. 312.
[4] Ibid. p. 292 sqq.

illa potuerunt quominus oppidorum aliud post aliud in deditionem concederet, et Olynthiorum ii qui partes regis sequebantur, antequam classis Atheniensium impetu ventorum tunc ipsum impedita auxilio venire posset, urbem prodiderunt[1].

Sequitur ut de discipuli contradictione iudicium feratur, quae cum orationem mirum in modum interpretetur, haud parvam nobis affert difficultatem. Ac primum quidem aliquid dicendum videtur de iis quae praecedunt, quibus tamquam praemonemur de ea contradictione. Tradit igitur § 200 sqq. orator correxisse sese orationem cum discipulis quibusdam; quod cum fecisset neque iam quidquam reperiri posset quo offenderentur, consilium sibi natum esse discipuli cuiusdam, qui in oligarchia versatus ita animo esset affectus ut perpetuo laudaret Lacedaemonios, accersendi, ut, si quid falso dictum se fefellisset, ille indicaret; et eum vocatum venisse et lectam orationem probasse; attamen mox apparuisse eum iis quae de Lacedaemoniis essent dicta non prorsus esse contentum, cum ausus esset dicere, si nulla alia re, at eo optime meritos esse Lacedaemonios de ceteris Graecis quod pulcherrima instituta invenissent et alios docuissent. Hanc fuisse causam cur acriter impugnando ac refellendo discipulum obmutescere coegisset.

Ac primum quidem hic ratio habenda mihi videtur esse Lehmanni sententiae, qui eo quod discipulus tota oratione probata Lacedaemoniorum *ἐπιτηδεύματα* laudasse narratur offensus progressum orationis qualem nunc habeamus a sana ratione abhorrere contendit[2]. Putat enim, cum ea quae reprehendat discipulus ab Isocrate in ea orationis parte ubi de rebus publicis agatur iam sint prolata, omnino fieri non potuisse ut tota quae antecedat oratio ab eodem discipulo laudaretur. Quae praeterea inde conclusit supra exposita sunt. Num igitur iure offendatur Lehmannus iam examinemus. Ac primum quidem quod attinet ad illam ipsam discipuli contradictionem (§ 202 *ἐτόλμησε γὰρ εἰπεῖν ὡς, εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο πεποιήκασι τοὺς Ἕλληνας ἀγαθόν, ἀλλ᾽ οὖν δι᾽ ἐκεῖνό γε δικαίως ἂν αὐτοῖς ἅπαντες χάριν ἔχοιεν ὅτι τὰ κάλλιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων εὑρόντες αὐτοί*

---

[1] Cf. Westermanni prolegg. ad Demosth. oratt. select. edit. p. 34.

[2] L. c. p. 58 sqq.

τε χρῶνται καὶ τοῖς ἄλλοις κατέδειξαν) facere non possumus quin ei assentiamur ita secum quodammodo pugnare discipulum. Nam hoc potissimum propositum erat oratori ut maiores suos iam antiquitus praeter Lacedaemonios floruisse demonstraret. Itaque illa quidem discipuli contradictio discrepat a satis multis locis orationis quam laudaverat[1]. Sed hac ipsa de causa expresse vituperatur discipulus a praeceptore; nam § 203 *ἠρόμην αὐτόν*, Isocrates dicit, *εἰ μηδὲν φροντίζει τῶν παρόντων μηδ' αἰσχύνεται λόγον εἰρηκὼς ἀσεβῆ καὶ ψευδῆ καὶ πολλῶν ἐναντιώσεων μεστόν* et infra § 206 *εἰ μὲν εὐλόγεις αὐτοὺς μηδὲν ἀκηκοὼς τῶν ἐμῶν, ἐλήρεις μὲν ἄν, οὐ μὴν ἐναντία γε λέγων ἐφαίνου σαυτῷ κτλ.*

Pluribus insuper vehementissime invehitur orator in eum. Hunc in modum in angustias redactus ab Isocrate discipulus ea quae antea dixit ita commutat ut ad gymnasia, ad exercitationem fortitudinis, ad concordiam, ad studium denique rei militaris singulare referenda sint (§ 216 sq. *ἐγὼ γὰρ ἐλυπήθην μὲν τὸν λόγον ἀναγιγνώσκων ἐπὶ τοῖς περὶ Λακεδαιμονίων εἰρημένοις, οὐ μὴν οὕτως ὡς ἐπὶ τῷ μηδὲν ἀντειπεῖν ὑπὲρ αὐτῶν δύνασθαι τοῖς γεγραμμένοις, εἰθισμένος τὸν ἄλλον χρόνον ἐπαινεῖν· εἰς τοιαύτην δ' ἀπορίαν καταστὰς εἶπον, ὅπερ ἦν λοιπόν, ὡς, εἰ καὶ μηδὲν δι' ἄλλο, διά γ' ἐκεῖνο δικαίως ἂν αὐτοῖς ἅπαντες χάριν ἔχοιμεν ὅτι τοῖς καλλίστοις τῶν ἐπιτηδευμάτων χρώμενοι τυγχάνουσιν. ταῦτα δ' εἶπον οὐ πρὸς τὴν εὐσέβειαν οὐδὲ πρὸς τὴν δικαιοσύνην οὐδὲ πρὸς τὴν φρόνησιν ἀποβλέψας, ἃ σὺ διῆλθες, ἀλλὰ πρὸς τὴν ἄσκησιν τῆς ἀνδρείας καὶ τὴν ὁμόνοιαν καὶ συνόλως τὴν περὶ τὸν πόλεμον ἐπιμέλειαν, ἅπερ ἅπαντες ἂν ἐπαινοῖεν καὶ μάλιστ' ἂν αὐτοῖς ἐκείνους χρῆσθαι φήσαιεν*). Atque etiam hanc alteram discipuli contradictionem abhorrere a tota praecedente oratione lecta ac laudata ab eodem unde appareat affert Lehmannus §§ 151—156. Dicit ibi orator haec fere: non prius quae actiones e bono civitatis statu profectae sint se esse explicaturum quam pauca sit praefatus; nam si, iis neglectis qui nihil aliud quam

[1] Afferuntur a Lehmanno p. 59 Panath. §§ 117 sqq. et 148, ubi Atheniensium rem publicam iam sub regibus et postea per mille annos inde ab eo tempore quo imperium populare paucorum potestate temperatum (*δημοκρατίᾳ ἀριστοκρατίᾳ δὲ χρωμένη* § 131) ibi sit constitutum usque ad Solonem optime administratam esse exponatur.

reprehendere didicerint, cum de aliis rebus gestis tum de maiorum militari disciplina (§ 152 *περί τε τῶν ἄλλων τῶν πεπραγμένων καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῶν περὶ τὸν πόλεμον*) ordine exponat, fieri non posse quin aliqui se leges a Lycurgo latas, quas Spartani observent, persequi dicant (*οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ φήσουσί τινές με διεξιέναι τοὺς νόμους οὓς Λυκοῦργος μὲν ἔθηκε Σπαρτιᾶται δ' αὐτοῖς χρώμενοι τυγχάνουσιν*). Iam pergit se multa sane dicturum esse quae illic, i. e. Spartae, in usu fuerint, sed non quasi Lycurgus illa invenerit vel excogitaverit, sed quod maiorum suorum gubernationem quam optime sit imitatus, imprimis vero instituta quae ad bellum gerendum pertineant[1]. Quod igitur hoc loco Lycurgum cum rationem rei publicae gerendae tum instituta

[1] In hoc ipso loco alia de causa offendit Blassius in libri sui qui est de eloquentia Attica parte altera, ubi Panathenaici dispositionem ac tractationem examinat (p. 294); discrepantiam enim ait intercedere inter ea quae se expositurum esse ibi promittat orator et quae re vera sequantur. Et profecto primo quidem obtutu videtur iure offendi. Inde enim quod Isocrates sumit fore ut adversarii se de militari disciplina dicentem leges a Spartanis observatas persequi dicant exspectamus ut de institutis ad bellicam artem spectantibus verba faciat. Sed frustra quaeras ubi de legibus vel institutis aliquid dictum sit ab Isocrate in illa orationis parte; nam nihil nisi res gestae enumerantur quibus Athenienses permagnam gloriam sint adepti. Attamen species tantum discrepantiae videtur subesse. Etenim eo consilio Isocrates res a maioribus gestas describit ut optima administratione atque institutis eos usos esse eluceat (§ 151 *ἐκ τούτων γὰρ* [scil. *τῶν πράξεων*] *ἔτι μᾶλλον ἔσται καταμαθεῖν ὅτι καὶ τὴν πολιτείαν εἶχον ἡμῶν οἱ πρόγονοι βελτίω τῶν ἄλλων καὶ σωφρονεστέραν καὶ προστάταις καὶ συμβούλοις ἐχρῶντο τοιούτοις οἵοις χρὴ τοὺς εὖ φρονοῦντας*). Nimirum, cum praeclarae actiones eorum laudantur, simul disciplina eorum militaris ante oculos nobis ponitur, quippe quae ex rebus illis feliciter gestis possit cerni, et tacite quodammodo etiam instituta quibus ea disciplina effecta sit. Itaque ferri potest quod laudatores Lacedaemoniorum Isocratem res gestas maiorum narrantem Atheniensibus laudem tribuere pronuntiant propter instituta quae Spartae sint inventa quibusque utantur Lacedaemonii. Neque iam quisquam erit qui verba § 153 *ἐγὼ δ' ὁμολογῶ μὲν ἐρεῖν πολλὰ τῶν ἐκεῖ καθεστώτων* nobis opponat. Quomodo enim *τὰ καθεστῶτα* nos accipere velit indicat orator verbis his § 155: *ὡς δὲ καὶ τὴν ἐμπειρίαν τὴν περὶ τὸν πόλεμον οὐ πρότερον ἤσκησαν οὐδ' ἄμεινον ἐχρήσαντο Σπαρτιᾶται τῶν ἡμετέρων ἐκ τῶν ἀγώνων καὶ τῶν πολέμων τῶν ὁμολογουμένων γενέσθαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον . . . . οἶμαι σαφῶς ἐπιδείξειν.* — Liceat hoc loco etiam aliam quam Blassius l. c. p. 295 attingit discrepantiam breviter commemorare. Panath. § 189 sqq.

ad bellicam artem spectantia ab Atheniensibus mutuatum esse expresse demonstratum sit, hoc argumento esse Lehmannus existimat discipulum etiam § 216 sq. sibi ipsi contradicere. Quamobrem nos exspectare debere ait Isocratem illum reprehensurum esse, quod a se ipso dissentiat. Dicit enim de hac re ille l. c. p. 60: 'Ebensowenig wird der Schüler, als er für den Ruhm der Spartaner wenigstens den kriegerischen Teil ihrer Politie als etwas ihnen sowohl hinsichtlich der Erfindung als auch der weiteren Entwicklung Eigentümliches in Anspruch nimmt, von Isokrates daran erinnert, dafs er ja auch diesen Ruhm den Athenern bereits zugestanden habe.' Sed Lehmannum parum accurate verba scriptoris inspexisse apertum est. Nam ubi, quaeso, discipulus contendit *ἐπιτηδεύματα* illa ad bellum spectantia quibus laudem meruerint Lacedaemonii ab his inventa esse? Sane quidem in priore contradictione (§ 202) pronuntiavit Lacedaemonios pulcherrima invenisse instituta et alios docuisse; sed § 217, ubi antea dicta iam commutavit, nihil dicit nisi ea de causa iure laude dignos esse Lacedaemonios quod pulcherrimis institutis utantur (*ὅτι τοῖς καλλίστοις τῶν ἐπιτηδευμάτων χρώμενοι τυγχάνουσιν*), et haec quidem se in universum intellegi velle pergit studia rei militaris (§ 218 *συνόλως τὴν περὶ τὸν πόλεμον ἐπιμέλειαν, ἅπερ ἅπαντες ἂν ἐπαινοῖεν καὶ μάλιστ' ἂν αὐτοῖς ἐκείνους χρῆσθαι φήσαιεν*). Lehmannum igitur locorum diversitatem parum respexisse evidenter apparet. Quae cum ita se habeant, non iam est cur posteriore quoque loco sibi non constare discipulus videatur. Quin etiam, quod illud *εὑρεῖν* cui in § 202 maximum tribuit

---

igitur mentionem infert Isocr. de tribus bellis a maioribus contra barbaros gloriose gestis. De quorum duobus, de bello contra Xerxem gesto et de bello colonias condendi causa suscepto, in praecedente oratione satis multa dicta esse (vid. § 49 sqq. et §§ 163—166), de tertio autem se verba facturum esse ille dicit (§ 191 *περὶ μὲν οὖν τοῖν δυοῖν πολέμοιν ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἱκανῶς εἰρήκαμεν, περὶ δὲ τοῦ τρίτου ποιήσομαι τοὺς λόγους, ὃς ἐγένετο τῶν μὲν Ἑλληνίδων πόλεων ἄρτι κατῳκισμένων, τῆς δ' ἡμετέρας ἔτι βασιλευομένης*). Verumtamen non de uno, sed de quattuor bellis contra Thraces, Scythas, Eurystheum, Dareum gestis iam exponitur (§§ 192—196); quae oratorem unius belli adversus barbaros gesti nomine comprehendisse quominus putemus vel id obstat quod tertio loco de bello Graecorum memoratur. Itaque cum Blassio (Isocrat. oratt. II praef. p. XVI) statuendum hunc 'totum locum ita comparatum esse ut ab Isocrate parum perpolitus esse videatur'.

momentum postea relinquit, colligere possumus eum loci illius quo Lycurgum Atheniensium instituta imitatum esse magister contenderat iam recordatum esse. Etenim ita fecisse consentaneum est discipulum, ne rursus a praeceptore ne sibi ipsi contradiceret admoneretur.

Proximum est ut quis sit ille discipulus quaeratur, cuius imago tam propriis lineamentis expressa est ut quin certus nobis depingatur homo dubitari non liceat. Iam videamus quae Lehmannus et Beckhausius de eo sibi excogitaverint. Ille igitur Isocratis discipulum libelli qui inscribitur *Λακεδαιμονίων πολιτεία* scriptorem eundemque Atheniensem ausus est contendere. Quod orator expresse discipulum tradit civem fuisse in re publica quae paucorum regatur potestate (*τινὰ τῶν ἐμοὶ μὲν πεπλησιακότων, ἐν ὀλιγαρχίᾳ δὲ πεπολιτευμένων*) nullam prorsus difficultatem ei parat, sed eo confugit quo saepissime, ut quae obstent opinioni suae praeiudicatae contorte ac perverse interpretetur. Neque enim dubitat verbis *πεπολιτευμένος ἐν ὀλιγαρχίᾳ* eam subicere vim ut significent discipulum ita affectum fuisse animo ut faveret dominationi paucorum[1]. Iam sublata est videlicet difficultas. Sed hae praestigiae sunt potius quam sana interpretandi ratio. Quae alia sententiae eius repugnent paulo infra videbimus; prius dicatur de Beckhausii coniectura[2]. Is igitur Lehmanni sententiam probavit eamque ita amplificavit ut illum Isocratis discipulum Xenophontem minorem, Grylli filium, Xenophontis nepotem, fuisse coniceret. A quo cum omnia alia quae immerito attribuantur Xenophonti scripta tum libellum de re publica Lacedaemoniorum confecta esse argumentis studet comprobare. Etenim omnibus illis spuriis ac subditiciis scriptis id commune esse ille animadvertit quod et tractandi et eloquendi rationem praebeant ancipitem, ita vero ut Xenophontea cum Isocrateis sint permixta. Quae explicari posse confirmat, si putemus ea scripta esse a Xenophonte minore, quippe qui et avi sui Xenophontis et magistri sui Isocratis genus dicendi sit imitatus. Sed haec prorsus incerta sunt;

---

[1] L. c. p. 109.

[2] Der jüngere Xenophon u. Isocrates. Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 26 Berlin 1872 p. .225 sqq.

nam etsi vixisse Xenophontem illum minorem hodie satis constat, tamen eum Isocratis auditorem fuisse certis argumentis non comprobatur[1]. Quae profert de eodem Beckhausius coniectura satis dubia assecutus est. Sed de hac re multa verba facere non opus esse videtur, cum fieri non posse ut de Xenophonte minore hic cogitemus ipsa discipuli oratione patefiat. Conferas enim quae leguntur § 237: *τὴν δὲ πόλιν ἐπαινεῖν προελέσθαι τὴν σαυτοῦ σωφρονῶν* et 241 sq.: *τοὺς μὲν σοὺς προγόνους* et *ἀγαθὰ μείζω τῶν τοῖς προγόνοις τοῖς σοῖς προσόντων*. Ita Xenophontis nepos, cuius maiores iidem erant atque Isocratis, certe dicere non poterat. Insuper his ipsis verbis fit manifestum inepte Lehmannum in § 237 *παρὰ τοῖς εὐνοϊκῶς πρὸς ὑμᾶς διακειμένοις* et § 248 *τῆς πόλεως τῆς ὑμετέρας* pro *ὑμᾶς* Urbinatis auctoritate firmato et pro *ὑμετέρας* a Sauppio recte restituto scribendum esse *ἡμᾶς* et *ἡμετέρας* contendere. Cadunt igitur ea quae duo illi viri de discipulo illo Atheniensi mente sibi finxerunt. Ne id quidem iis contigit ut Panathenaicum et libellum de re publica Lacedaemoniorum conexa esse inter sese nobis persuaderent. Nituntur autem eo quod permulta in *Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ* Lacedaemoniis laudi tributa ab Isocrate refutentur ac refellantur. Concedo sane hoc re vera fieri. Sed minus ponderis huic rei tribuendum est quam ut propterea eadem atque illi viri statuamus. Nam meo quidem iudicio omnino fieri nequit quin inter librum quo Lacedaemonii summis laudibus ornantur et orationem qua laudatores eorum castigantur ea intercedat ratio ut eorum nonnulla quae ibi de meritis Lacedaemoniorum civitatis praedicantur hic in dubium vocentur vel corrigantur. Consentaneum enim est iisdem laudibus quibus in *Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ* res publica Lacedaemoniorum effertur omnes horum admiratores usos esse. Quapropter hoc argumentum nihili est. Et nimium contendunt Lehmannus et Beckhausius, cum dicunt nec libellum de re publica Lacedaemoniorum nec Panathenaicum probabili modo explicari posse, nisi ratione a se proposita ea scripta referenda esse inter se putemus. Nam ad Panathenaicum probabiliter explicandum eo libello non opus esse me hac commentatione demonstraturum esse confido; libellum autem *Λακεδαιμονίων πολιτεία* inscriptum

---

[1] Cf. Blass. l. c. II p. 450.

satis ex se intellegi posse dedita opera nuper ostendit A. Wulffius, in cuius sententia acquiescendum esse equidem censeo [1].

Nec minus praepropere Teichmueller discipulum contradicentem Philippum esse Opuntium opinatus est, librorum de legibus editorem [2]. Sed hunc ne habuisse quidem comperimus Isocratem magistrum; is autem de quo quaeritur unus ex illustrissimis eius discipulis vocatur (§ 229), quamobrem notissimus sit oportet oratoris illius auditor. Atque vituperandi sunt qui talia proferunt argumentis non comprobata, quibus nihil efficitur nisi ut alii a recta via abducantur.

Iam missis iis quae illi viri excogitaverunt, quem virum nos in descriptione ingenii ac morum discipuli illius agnoscamus in medium proferatur. Quae igitur de eo audimus optime cadunt in Theopompum Chium, Damasistrati filium, historicum clarissimum. Eius ingenium ostendi hoc loco iam Hieronymus Wolfius suspicatus est, qui in Isocratis orationum translationis suae [3] appendicis quae castigationes inscribitur pag. 18 ad Panath. § 183 adnotat haec: '*πρὸς ἡμᾶς*, malim *ὑμᾶς*; videtur enim qui hoc loquitur non fuisse civis Atheniensis, cum dicat eum fuisse unum *τῶν ἐν ὀλιγαρχίᾳ πεπολιτευμένων*; quem ego Theopompum Chium suspicór ex descriptione acris ingenii, quamquam fieri potest ut hic totus dialogus ab Isocrate sit confictus.' Atque verum iudicium hunc tulisse apparebit, si ea quae de Theopompo memoriae sunt tradita optime cum iis quae in Panathenaico inveniuntur convenire explanatum erit. Itaque quae de Theopompo comperta habemus quaeque ad

---

[1] Quaestiones in Xenophontis de re publica Lacedaemoniorum libello institutae. Dissert. Monaster. a. 1884. — Iudicat autem ille p. 64 in universum haec: cum tota rerum tractatio atque verborum elocutio Xenophontis exprimat ingenium moremque scribendi, libellum totum Xenophontis esse; verumtamen non ab omni parte plenum atque integrum illum nobis traditum esse, sed qualem habeamus ex dissoluto et lacunoso exemplari descriptum atque compositum; quod vero attineat ad caput XIV, quod permultis est suspectum, discrepantias quae huic capiti cum reliquis capitibus intercedant ita explicari posse ut scriptorem ipse sententiam suam mutavisse ac correxisse statuamus; quare scriptum esse suspicatur illud caput ab ipso Xenophonte, cum experientia edoctus Lycurgi leges minus valere cognovisset.

[2] L. c. p. 281.

[3] Isocratis orationes omnes quae quidem ad nostram aetatem pervenerunt e Graeco in Latinum conversae per Hieronymum Wolfium Oetingensem. Basileae 1548.

hanc quaestionem pertinent haec fere sunt: Theopompum, Damasistrati filium, una cum patre propter Lacedaemoniorum studium civitate eiecto in exilium abisse legimus apud Photium (cod. 176 ἔστι δὲ Θεόπομπος Χῖος μὲν τὸ γένος, υἱὸς Δαμοστράτου [l. Δαμασιστράτου cf. Suid. s. v.]· φυγεῖν δὲ λέγεται τῆς πατρίδος ἅμα τῷ πατρὶ, ἐπὶ λακωνισμῷ τοῦ πατρὸς ἁλόντος). Idem Photius nobis tradit eum quadraginta quinque annos natum ab Alexandro rege in civitatis iura esse restitutum, unde natales Theopompi ad Ol. 100 referendas esse iure concluditur. Dissentiunt autem viri docti utrum Isocrate magistro ille usus sit tum cum hic scholam aperuerat in Chio insula an postea Athenis. Quae quaestio quomodo diiudicetur cum nonnihil valeat ad sententiam nostram de discipulo prolatam, nos inquiramus in eam necesse videtur esse. Ac C. Mueller quidem in fragmentorum historicorum Graecorum editionis pg. LXVI quominus Athenis Theopompum Isocratis disciplina usum esse putemus id ait obstare quod personatus Plutarchus in vita Isocratis (vitt. decem oratt. p. 837 c et Phot. cod. 260 p. 793) eum ab hoc in dicendi arte institutum esse tradat quo tempore in Chio insula ludo novem discipulorum praefuerit. Sed manifestum est eum personati Plutarchi verba non satis inspexisse; nam frustra requiras ubi hoc scriptum sit. Narratur autem in vitt. dec. oratt. l. c. de Isocratis ludo ac discipulis hoc ordine: Primum comperimus oratorem, cum conatus eius Graecorum animos ad bellum contra barbaros gerendum incitandi ad irritum cecidisset, scholam instituisse, idque primum quidem in Chio, ubi novem discipulorum magistrum eum fuisse legimus (διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δὲ ἡγεῖτο, ὥς τινές φασι, πρῶτον ἐπὶ Χίου μαθητὰς ἔχων ἐννέα). Deinde scriptor paucis cum de aliis rebus tum de divitiis quas nactus sit Isocrates expositis transit ad discipulos eius his verbis: ἀκροαταὶ δ' αὐτοῦ ἐγένοντο εἰς ἑκατόν; nominat autem et alios et Theopompum (ἐμαθήτευσε δ' αὐτῷ καὶ Θεόπομπος ὁ Χῖος). At hunc referendum esse in numerum eorum qui in Chio insula accesserunt ad Isocratem nusquam dicitur; immo hoc loco de centum circiter huius auditoribus mentio inicitur, cum in Chio insula novem tantum disciplina eius uterentur. Quin etiam ex hoc ipso loco Muelleri sententiam admodum nihil habere probabilitatis intellegitur, cum e

scriptoris verbis evidenter appareat memoriae fuisse traditum Isocratem in Chio insula sedem habuisse tum cum aetate etiam minore esset (*σχολῆς ἡγεῖτο . . . . πρῶτον ἐπὶ Χίου*). Quamobrem cum reputamus Isocratem anno 436, Theopompum circa a. 380 natum esse, in sententiam eorum adducimur qui Athenis existimant historicum illum a rhetore esse institutum. Accedit quod verisimillimum est illum infantem et in ipso vitae limine patria esse privatum, ut Pflugkius [1] coniecit ex verbis Diod. XV 28 *οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι διὰ τὸ μέγεθος τῆς περὶ αὐτοὺς δυνάμεως ὑπεροπτικῶς καὶ βαρέως ἦρχον τῶν ὑποτεταγμένων· διόπερ πολλοὶ τῶν ὑπ' αὐτοὺς τεταγμένων ἀπέκλινον πρὸς τοὺς Ἀθηναίους· πρῶτον δὲ πρὸς τὴν ἀπόστασιν ὑπήκουσαν Χῖοι*. Hoc enim factum est Ol. 100, 4.

Iam quae Theopompi vestigia descriptio illa discipuli prodat videamus. Ac primum quidem quia tantum discipuli eius iudicio Isocratem videmus tribuisse ut ceterorum opinione non contentus eum separatim advocaret et postea se ad arbitrium eius prorsus dederet, pro certo iudicare licet eum discipulum haud parvae existimationis fuisse inter eos qui disciplina oratoris utebantur, sed et doctrinae copia et rerum experientia praeter ceteros insignem. Haec autem praeclara fuisse in Theopompo notum est, imprimis itineribus multa erat expertus. Gloriatur enim ille apud Photium quod nulla sit notabilis Graeciae urbs in qua non aliquantum temporis sit moratus (Phot. l. c. *ἔτι δὲ καὶ διότι οὐδείς ἐστι τόπος κοινὸς τῶν Ἑλλήνων οὐδὲ πόλις ἀξιόχρεως εἰς οὓς αὐτὸς οὐκ ἐπιδημῶν καὶ τὰς τῶν λόγων ἐπιδείξεις ποιούμενος οὐχὶ μέγα κλέος καὶ ὑπόμνημα τῆς ἐν λόγοις αὐτοῦ κατέλιπεν ἀρετῆς*). Quodsi ex iudicio eius ab ipso Isocrate tanti aestimato atque ex tota narratione efficitur discipulum illum in Panathenaico descriptum ingenio multo superiorem fuisse condiscipulis suis, consentaneum est nos de Theopompo potissimum cogitare, ut qui clarissimus atque excellentissimus omnium eorum qui Isocratem habebant magistrum ab omnibus sit existimatus. Ita apud Dionysium ad Cn. Pomp. c. 6 nominatur *ἐπιφανέστατος πάντων τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*. Sed exstant indicia etiam multo magis expressa, et vel singula quae de moribus discipuli dicta aut indicata sunt perse-

[1] De Theopompi vita et scr. Berol. 1827.

quentes ubique agnoscimus Theopompum. Optime enim convenit cum iis quae de hoc memoriae tradita sunt quod Isocrates discipulum virum esse acrem et multarum rerum peritum et in arte oratoria non minus exercitatum quam quemvis discipulorum suorum verbis his § 229 tradit: *ταῦτ' εἰπὼν κατέσχον πρὸς ὃν τοὺς λόγους ἐποιούμην ἄνδρα δεινὸν καὶ πολλῶν ἔμπειρον καὶ περὶ τὸ λέγειν γεγυμνασμένον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἐμοὶ πεπλησιακότων.* Ut mittamus parum distincta illa verba *ἄνδρα δεινόν*, e quibus id solum appareat discipulum haud mediocrem fuisse virum, Theopompum multarum rerum peritissimum (*πολλῶν ἔμπειρον*) fuisse iam dictum est; cum iudicio vero quod tertio loco legitur (*περὶ τὸ λέγειν γεγυμνασμένον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἐμοὶ πεπλησιακότων*) conferas velim Photii verba, qui ad verbum paene idem profert de eodem p. 206 cum dicit *οὐδενὸς τῶν Ἰσοκρατικῶν εἰς τοὺς λόγους ἀτιμότερος.* Porro videmus discipulum non vereri quid sentiat aperte dicere (cf. § 218 *παρρησιασάμενον*); § 235 enim laudes quibus ornetur magister a discipulis vilissimas esse admonet Isocratem (*συμβούλοις περὶ τοῦ λόγου χρῆσασθαι βουλόμενος ἡμᾶς συνήγαγες, οὓς οἶσθ' ἀκριβῶς ἅπαν ὅτι ἂν σὺ λέγῃς ἢ πράττῃς ἐπαινοῦντας*) et § 250 libere pronuntiat se putare Lacedaemonios Isocratis orationes nihil esse curaturos (*νῦν δ' οἴομαι τοὺς μὲν πλείστους Σπαρτιατῶν ἐμμενεῖν τοῖς ἤθεσιν οἷσπερ καὶ τὸν ἄλλον χρόνον, τοῖς δὲ λόγοις τοῖς ἐνθάδε γραφομένοις οὐδὲν μᾶλλον προσέξειν τὸν νοῦν ἢ τοῖς ἔξω τῶν Ἡρακλέους στηλῶν λεγομένοις*). Hoc ipsum proprium fuisse Theopompi veterum testimonio traditur, minime enim dubitasse eum verum dicere colligere possumus ex Athenaei (III 18) et Suidae (s. v. *Ἔφορος*) verbis, qui *ἀνδρὸς φιλαλήθους* nomine eum ornant. Etiam maledicendi studium ei propter ingenue ac libere dicta, ut fieri solet, exprobrabatur. Ita Iosephus c. Apion. I 24 p. 459 Theopompum dicit *βλασφημεῖν καὶ λοιδορεῖν.* Cum his cf. Athen. VI p. 254 b, ubi *δυσμενέστατος*, et Suid. s. v. *Ἔφορος*, ubi *τὸ ἦθος πικρὸς καὶ κακοήθης* appellatur. Plurimum autem ei tribuendum est rei quod laudatorem Lacedaemoniorum discipulum fuisse comperimus (§ 200 *τινὰ τῶν . . . προῃρημένων δὲ Λακεδαιμονίους ἐπαινεῖν* et § 216 *εἰθισμένος τὸν ἄλλον χρόνον ἐπαινεῖν*). Vidimus supra Theopompum tum cum res publica Chiorum populari ratione con-

stituebatur propter patris Lacedaemoniorum studium in exilium esse missum. Cum igitur patris *λακωνισμόν* tamquam hereditate accepisset, Lacedaemoniorum rem publicam laudibus efferebat. Contra civitates in quibus omnia per populum gerebantur detestabatur. Talem eum fuisse intellegitur cum ex iis quae Alexandri gratia in patriam revocatus sequebatur in re publica gerenda, tum ex scriptis eius, quae et Lacedaemoniorum studium et hominum popularium odium eius aperte ostendebant. Quibuscum optime congruunt ea quae discipulus pronuntiat in Panathenaico, cum id potissimum laudi tribuat civitati Lacedaemoniorum quod non inciderint in varias eas calamitates in quas ceterae Graeciae civitates; enumerat autem inter tales calamitates seditionem, exilia iniusta, direptiones pecuniarum, rei publicae mutationem (§ 259 *ἐν τῇ Σπαρτιατῶν οὐδεὶς ἂν ἐπιδείξειεν οὔτε στάσιν οὔτε σφαγὰς οὔτε φυγὰς ἀνόμους γεγενημένας οὐδ' ἁρπαγὰς χρημάτων οὐδ' αἰσχύνας γυναικῶν καὶ παίδων, ἀλλ' οὐδὲ πολιτείας μεταβολὴν οὐδὲ χρεῶν ἀποκοπὰς οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν τῶν ἀνηκέστων κακῶν*). Propter talia incommoda e imperio populari nata, quibus ipse cum patre erat afflictus, Theopompus maxime aversabatur civitates in quibus penes populum summa erat potestas. Quod e fragmentis scriptorum eius intellegitur. Etenim ille cum de populari potestate loquitur facere non potest quin illustret quanta mala inde in rem publicam soleant redundare. Ita frgto 65 morum depravationes cum hoc rerum statu coniunctas esse studet demonstrare exemplo Byzantiorum et Chalcedoniorum. De illis dicit haec: *ἦσαν δὲ οἱ Βυζάντιοι καὶ διὰ τὸ δημοκρατεῖσθαι πολὺν ἤδη χρόνον καὶ τὴν πόλιν ἐπ' ἐμπορίου κειμένην ἔχειν καὶ τὸν δῆμον ἅπαντα περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὴν λιμένα διατρίβειν ἀκολάστοι καὶ συνουσιάζειν καὶ πίνειν εἰθισμένοι ἐπὶ τῶν καπηλείων.* Tum tradit Chalcedonios, priusquam Byzantiorum rei publicae fuissent participes, melioribus institutis et honestioribus usos esse, cum vero popularem illorum statum gustassent, prorsus eos esse corruptos: *Καλχηδόνιοι δὲ πρὶν μὲν μετασχεῖν αὐτοῖς τῆς πολιτείας ἅπαντες ἐν ἐπιτηδεύμασι καὶ βίῳ βελτίονι διετέλουν ὄντες· ἐπεὶ δὲ τῆς δημοκρατίας τῶν Βυζαντίων ἐγεύσαντο, διεφθάρησαν εἰς τρυφὴν καὶ τὸν καθ' ἡμέραν βίον ἐκ σωφρονεστάτων καὶ μετριωτάτων φιλοπόται καὶ πολυτελεῖς γενόμενοι.*

Athenienses, quod claros viros extra patriam vivere coegerint, vituperat in frgto 117 *ἅπασι γάρ εἰσιν χαλεποί· διὸ καὶ εἵλοντο αὐτῶν οἱ ἔνδοξοι ἔξω τῆς πόλεως καταβιοῦν κτλ.* In eosdem etiam vehementius invehitur frgto 238, ubi arguit eos quod luxuriae atque effrenatae morum licentiae se dedant et plura impendant in publicas epulas quam in rei publicae administrationem. Charetis enim luxurioso vitae genere enarrato sic pergit: *ἐφ᾽ οἷς ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων οὐδεπώποτε ἠγανάκτησεν, ἀλλὰ διὰ ταῦτα καὶ μᾶλλον αὐτὸν ἠγάπα* (*Χάρητα* scil.) *τῶν πολιτῶν καὶ δικαίως· καὶ γὰρ αὐτοὶ τοῦτον τὸν τρόπον ἔζων ὥστε τοὺς μὲν νέους ἐν τοῖς αὐλητριδίοις καὶ παρὰ ταῖς ἑταίραις διατρίβειν, τοὺς δὲ μικρὸν ἐκείνων πρεσβυτέρους ἔν τε τοῖς κύβοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἀσωτίαις, τὸν δὲ δῆμον ἅπαντα πλείω καταναλίσκειν εἰς τὰς κοινὰς ἑστιάσεις καὶ κρεανομίας ἤπερ εἰς τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν.* Ut civitatum ac virorum popularium vitia increpat, ita Lacedaemonios eorumque duces maximis ornat laudibus, exempli causa quae in Lysandro fuerint virtutes praedicat Hellen. lib. X frgto 21 *ὅτι φιλόπονος ἦν καὶ θεραπεύειν δυνάμενος καὶ ἰδιώτας καὶ βασιλεῖς, σώφρων ὢν καὶ τῶν ἡδονῶν ἁπασῶν κρείττων· γενόμενος γοῦν τῆς Ἑλλάδος σχεδὸν ἁπάσης κύριος ἐν οὐδεμιᾷ φανήσεται τῶν πόλεων οὔτε πρὸς τὰς ἀφροδισίους ἡδονὰς ὁρμήσας οὔτε μέθαις καὶ πότοις ἀκαίροις χρησάμενος.* Simili modo eum in Philippicorum libro XIII et in Hellenicorum libro XI de Lacedaemoniorum abstinentia egisse docemur ab Athenaeo, qui XIV p. 657 b haec scribit: *Θεόπομπος ἐν τρισκαιδεκάτῳ Φιλιππικῶν καὶ ἑνδεκάτῳ Ἑλληνικῶν ἐν οἷς ἐμφανίζει τὸ περὶ τὴν γαστέρα τῶν Λακώνων ἐγκρατὲς γράφει οὕτως.* Quae praefatus Athenaeus tradit narrationem e Theopompi scriptis sumptàm qua Agesilai continentia laudatur.

Cum igitur ex omnibus quae de discipulo prolata sunt Theopompi ingenium ac natura dilucide appareat, satis esse causae unusquisque confitebitur cur hunc describi sub imagine laudatoris illius Lacedaemoniorum pro explorato habeamus. Adde quod temporis ratio huic iudicio nihil repugnat; nam cum ille anno demum quadragesimo quinto aetatis suae, i. e. a. Ch. n. 335, Alexandri gratia in patriam revocatus sit[1], nihil obstat quominus eum quo

[1] Vid. Muelleri frgt. hist. Graec. ed. vol. I p. LXVII.

anno colloquia ea facta sunt, i. e. a. 339[1], Athenis fuisse statuamus. Praeterea in eum, qui tum vir esset circiter unius et quadraginta annorum (natus enim est circa a. 380), optime convenit quod de maturiore aetate discipuli illius indicatur; hic enim *ἀνήρ* appellatur, cum ceteri discipuli *μειράκια* dicantur (§ 229 *ταῦτ᾽ εἰπὼν κατέσχον πρὸς ὃν τοὺς λόγους ἐποιούμην ἄνδρα δεινόν .... οὐ μὴν τὰ μειράκια τὰ πᾶσι παραγεγενημένα τούτοις τὴν αὐτὴν ἐμοὶ γνώμην ἔσχεν*).

Reliquum est ut quid sibi velit contradictio discipuli orationi adiuncta explorare studeamus, qua in re proficiscendum videtur ab iis quae Isocrates ipse indicat. Proinde videamus unde hic contradictionem illam natam esse affirmet. Narrat igitur § 230 sqq. discipulo illo confutato nimis semet placuisse sibi et plenum fuisse perturbationis ac motus iuvenilis (*φρονῶν μεῖζον ἢ προσῆκε τοὺς τηλικούτους καὶ ταραχῆς μειρακιώδους μεστὸς ὤν*). Cum vero tribus vel quattuor diebus post aequo animo relegeret orationem suam, se iis quidem quae de Atheniensibus dixisset prorsus fuisse contentum, eorum vero quae de Lacedemoniis iudicasset valde se paenituisse. Neque enim se aequum tulisse iudicium de iis neque simile iis quae alias dixisset sibi esse visum, sed contemptionis plenum et asperrimum et prorsus inconsideratum (*οὐ γὰρ μετρίως ἐδόκουν μοι διαλέχθαι περὶ αὐτῶν οὐδ᾽ ὁμοίως τοῖς ἄλλοις, ἀλλ᾽ ὀλιγώρως καὶ λίαν πικρῶς καὶ παντάπασιν ἀνοήτως*). Unde identidem consilium sibi natum esse orationis delendae vel comburendae, sed miseritum senectutis suae et operae in illam conficiendam collatae sese ab eo destitisse. Postremo placuisse sibi discipulis iis qui in urbe essent iterum accersitis deliberare utrum edenda esset oratio necne; et discipulos quidem convocatos orationem lectam laudasse et plausu esse prosecutos; quo facto cum discipuli inter se de iis quae lecta essent disputarent, laudatorem illum Lacedaemoniorum silentio facto sententiam suam de Panathenaico longiore oratione explicasse.

Elucet ex hac narratione et primum et alterum conventum illum factum esse imprimis discipuli gratia quem Lacedaemoniorum studiosum fuisse legimus; nam eius esse primas partes in utroque

[1] Vid. Blass. l. c. II p. 292.

conventu inde cognoscitur quod in priore Isocrates ceterorum laudibus non contentus eum iubet quid sibi videatur de oratione prodere, in posteriore, ea ipsa de causa convocata ut deliberatio fieret utrum oratio edenda esset necne, solus ille discipulus longiore disputatione suum de magistri oratione iudicium profert. Si porro reputamus Isocratem tantum concedere auctoritatis discipulo ut, quamquam nihil offensi sint ceteri oratione, tamen confugiat ad eius arbitrium, et tanti eum aestimare videmus discipuli sententiam ut postea addat contradictionem eius orationi suae, eum huius praecipue discipuli iudicium expetivisse in promptu videtur esse. Etsi hunc instituta Lacedaemoniorum laudantem orator primo acriter repellit, tamen contradictio eius tantum ei valet ut rebus denuo secum reputatis coram omnibus discipulis se nimis vituperasse Lacedaemonios concedat et ex arbitrio eius potissimum pendere velit utrum edatur oratio necne. Et eo minus mirum est Isocratem re denuo diligenter perpensa sensisse aequo iniquius se disputasse contra discipulum quod, ut ipse § 232 verbis *οὐδ᾽ ὁμοίως τοῖς ἄλλοις*, scil. *ἃ διελέχθην*, indicat (cf. § 239), alio tempore idem iudicium tulit de Lacedaemoniorum re publica eorumque institutis quod ille[1]. Ma-

[1] Ita Areopag. § 61 Lacedaemonios, quod optimo civitatis statu utantur, laude effert (*Λακεδαιμονίους κάλλιστα πολιτευομένους*) et Nicocl. § 24 (*Λακεδαιμονίους τοὺς ἄριστα τῶν Ἑλλήνων πολιτευομένους*). Virtute eos sedes occupasse in Peloponneso praedicat Areopag. § 7 (*Λακεδαιμόνιοί τε τὸ μὲν παλαιὸν ἐκ φαύλων καὶ ταπεινῶν πόλεων ὁρμηθέντες διὰ τὸ σωφρόνως ζῆν καὶ στρατιωτικῶς κατέσχον Πελοπόννησον*). Eosdem virtute de Graecis optime meritos esse dicit Paneg. § 73 (*καὶ μηδεὶς οἰέσθω μ᾽ ἀγνοεῖν ὅτι καὶ Λακεδαιμόνιοι περὶ τοὺς καιροὺς τούτους πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι τοῖς Ἕλλησιν κατέστησαν*) et Archidam. 52. — Atque causa cur orator in Panathenaico tam vehementer invehatur in Lacedaemonios partim inde repetenda videtur esse quod contentio ei est cum eorum praedicatoribus, partim fortasse ex consiliis publicis quae illi tum ceperant. Nam iis ipsis temporibus quibus Panathenaicus confectus est Lacedaemonii Philippum, regem Macedonum, qui anno 344 a Messeniis contra Spartanos auxilio vocatus inde ab eo tempore se rebus in Peloponneso gestis immisceret, hostis numero habere coeperant (vid. Schaefer Demosthenes u. s. Zeit. vol. II p. 331). Quae res animum Isocratis alienaret a Spartanis iisque offensum redderet erat necesse; nam notum est oratorem confidenter sperasse Philippum internis discordiis sedatis totius Graeciae ducem contra barbaros fore. Qua de causa Spartani consiliis regis occurrentes ex sententia Isocratis saluti totius Graeciae impedimentum afferebant.

gistro igitur ita dubitanti officiose succurrit Theopompus, cum quae de Lacedaemoniis dicta sunt in eam sententiam interpretatur ut sibi quoque oratio possit placere. Nam proprios Lacedaemoniorum mores et res ab iis gestas quae in oratione commemorantur quaeque in deteriorem partem acceperat Isocrates, ea in laudem potius eorum interpretatione sua trahens iniquum iudicium magistrum tulisse circuitione quadam iudicat ille et quatenus hoc correctum velit simul declarat. Ac ne aperte obloquatur magistri orationi omnium plausu modo comprobatae cum ita corrigat illam se veram eius sententiam aperire callide simulat (§ 236 *πεῖραν λαβεῖν βουλόμενος εἰ φιλοσοφοῦμεν καὶ μεμνήμεθα τῶν ἐν ταῖς διατριβαῖς λεγομένων καὶ συνιδεῖν δυνηθεῖμεν ἂν ὃν τρόπον ὁ λόγος τυγχάνει γεγραμμένος*. Cf. § 247 *αὐτὸν φανερώτερον ἐποίουν καὶ γνωριμώτερον τοῖς ἀναγιγνώσκουσιν* et § 244). Itaque fingit nihil quod offensioni sit animadvertere sese in oratione de Lacedaemoniis dictum (§ 235 *οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ὁρῶ τοιοῦτον γεγραμμένον*), et sumit Isocratem verbis ambiguis usum rem ita instituisse ut videretur vituperare Spartiatas, etsi tecte eos laudaret (§ 239 *Σπαρτιατῶν δὲ δοκεῖν μὲν κατηγορεῖν τοῖς ἀηδῶς πρὸς αὐτοὺς διακειμένοις, μηδὲν δὲ ποιεῖν τοιοῦτον ἀλλὰ λανθάνειν ἐπαινῶν αὐτούς κτλ.*). Ad eam rationem quae Lacedaemoniorum propria esse orator ostenderit, superbiam et bellandi studium et avaritiam, quapropter postponantur Atheniensibus pacis cupidis et Graecorum amantibus et aequabilitatis studiosis (§ 241 *ἐν ᾧ πεποίηκας τοὺς μὲν σοὺς προγόνους εἰρηνικοὺς καὶ φιλέλληνας καὶ τῆς ἰσότητος τῆς ἐν ταῖς πολιτείαις ἡγεμόνας, Σπαρτιάτας δ' ὑπεροπτικοὺς καὶ πολεμικοὺς καὶ πλεονέκτας, οἵουσπερ αὐτοὺς εἶναι πάντες ὑπειλήφασιν κτλ.*), ea omnia quam laudi potius illis vertenda sint explanat; superbiam enim maiestatem habere, rem admodum honorificam, et in hominibus superbis plus inesse magnanimitatis omnibus videri quam in aequi studiosis (§ 242 *τήν τε γὰρ ὑπεροψίαν σεμνότητος μετέχειν, εὐδοκίμου πράγματος, καὶ δοκεῖν ἅπασι μεγαλοφρονεστέρους εἶναι τοὺς τοιούτους ἢ τοὺς τῆς ἰσότητος προεστῶτας*); porro gentes bellicosas multo potiores esse pacis amantibus, cum hi neque ea quae non habeant sibi comparare possint neque eorum quae possideant boni esse tutores, illi valeant utrumque (ibid. *τοὺς μὲν γὰρ οὔτε κτητικοὺς εἶναι τῶν οὐκ ὄντων οὔτε φυλακὰς δεινοὺς τῶν ὑπαρχόντων, τοὺς δ'*

ἀμφότερα δύνασθαι); etiam de habendi cupiditate quae praedicentur meliora inveniri posse quam quae a magistro dicta sint; neque enim *πλεονεξίας* Spartiatarum et regum et tyrannorum eodem loco haberi esse fas ac cupiditates fraudatorum et circumscriptorum, qui ex infamia damnum accipere soleant, sed optabiles esse et ab omnibus expeti eorum potestates (§ 243 sq. *ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τῆς πλεονεξίας καλλίους ἔχειν οἴονται λόγους τῶν εἰρημένων· τοὺς μὲν γὰρ ἀποστεροῦντας τὰ συμβόλαια καὶ τοὺς παρακρουομένους καὶ παραλογιζομένους οὐχ ἡγοῦνται δικαίως καλεῖσθαι πλεονεκτικοὺς* [*διὰ γὰρ τὸ πονερὰν ἔχειν τὴν δόξαν ἐν ἅπασιν αὐτοὺς ἐλαττοῦσθαι τοῖς πράγμασι*], *τὰς δὲ Σπαρτιατῶν πλεονεξίας καὶ τὰς τῶν βασιλέων καὶ τὰς τῶν τυράννων εὐκτὰς μὲν εἶναι καὶ πάντας αὐτῶν ἐπιθυμεῖν, οὐ μὴν ἀλλὰ λοιδορεῖσθαι καὶ καταρᾶσθαι τοῖς τὰς τηλικαύτας ἔχουσι δυναστείας*). Atque ut universos Lacedaemoniorum mores, ita singulas res ab iis gestas quarum mentio inicitur in Panathenaico in eam partem accipit ut quae in magistri oratione graviter notentur eadem ad laudandum potius praebere materiem demonstret. Gratum acceptumque igitur disputat fore Lacedaemoniis orationem legentibus quod Isocrates veterum rerum suarum gloriosarum et laudatarum memoriam repetiverit (§ 252 *τὰς δὲ πράξεις καὶ τὰς μάχας ἐφ᾽ αἷς αὐτοί τε μέγα φρονοῦσι καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις εὐδοκιμοῦσι σὲ γεγραφέναι καὶ μνημονεύεσθαι πεποιηκέναι συναγαγόντα πάσας αὐτὰς καὶ θέντα παρ᾽ ἀλλήλας . . .* § 253 *ταῦτ᾽ ἐνθυμουμένους καὶ διεξιόντας οὐδὲ τῶν παλαιῶν ἔργων ἀμνημονήσειν δι᾽ ὧν ἐγκεκωμίακας τοὺς προγόνους αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ πολλάκις διαλέξεσθαι πρὸς σφᾶς αὐτοὺς κτλ.*). Deinceps quod illi parva sua priore condicione non contenti in Peloponneso incolis devictis et expulsis sedes occupaverint rem dicit admirabilem et felicem et diis probatam (§ 254 *οὗ μεῖζον ἔργον καὶ θαυμαστότερον οὐδεὶς ἐπιδείξει κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον γενόμενον, οὐδὲ πρᾶξιν εὐτυχεστέραν καὶ θεοφιλεστέραν τῆς τοὺς χρησαμένους τῆς μὲν οἰκείας ἀπορίας ἀπαλλαξάσης, τῆς δ᾽ ἀλλοτρίας εὐδαιμονίας κυρίους ποιησάσης*) et quod, ex quo ibi consedissent et cum Messeniis et Argivis terram divisissent, nihil potius habuerint quam ut omnes urbes in Peloponneso sitas suae dicionis facerent documentum declarat prudentiae (§ 255 *ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τοσοῦτον φρονῆσαι φῂς αὐτοὺς ὥστ᾽ ὄντας οὐ πλείους τότε δισχιλίων οὐχ ἡγήσασθαι σφᾶς αὐτοὺς*

ἀξίους εἶναι ζῆν, εἰ μὴ δεσπόται πασῶν τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων γενέσθαι δυνηθεῖεν κτλ.). Porro inde quod posteriore quoque tempore semper gloriae serviverint orta esse praedicat libertatem eorum perpetuam et laudem bellicam; neque enim unquam illos quamquam paucos ingentium civitatum imperio subiectos fuisse eosdemque, quia praeter ceteros pugnaces rege duce nusquam devicti essent, merito bello contra Persas gerendo praefuisse (§ 257 ἐξεῖναι γὰρ εἰπεῖν αὐτοῖς ὅτι σφεῖς μὲν ὄντες οὕτως ὀλίγοι τὸν ἀριθμὸν οὐδεμιᾷ πώποτε τῶν μυριάνδρων πόλεων ἠκολούθησαν οὐδ᾽ ἐποίησαν τὸ προσταττόμενον, ἀλλ᾽ αὐτόνομοι διετέλεσαν ὄντες, αὐτοὶ δ᾽ ἐν τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς τοὺς βαρβάρους πάντων τῶν Ἑλλήνων ἡγεμόνες κατέστησαν, καὶ τῆς τιμῆς ταύτης ἔτυχον οὐκ ἀλόγως, ἀλλὰ διὰ τὸ μάχας ποιησάμενοι πλείστας ἀνθρώπων κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον μηδεμίαν ἡττηθῆναι τούτων ἡγουμένου βασιλέως ἀλλὰ νενικηκέναι πάσας). Postremo praestantiae eorum id indicium affert gravissimum quod calamitatibus iis quibus ceteri, internis discidiis et caedibus et rerum novarum studiis, nunquam sint perturbati (§ 258 sq.). Ita discipulus iniustis vituperationibus a magistro, qui Lacedaemoniorum morum et rerum gestarum vitia tantum investigavit, prolatis quae laudabilia sint in iisdem rebus opponit et per speciem interpretationis significat quemadmodum orationem cupiat correctam. Quam orationis interpretationem cum probat Isocrates discipuli consilio obsecutus (v. § 262), iudicium suum non ab omni parte circumspectum compensat. Nam concedit easdem res quibus ipse usus sit ad demonstrandum Lacedaemonios esse scelestos, si ab altera parte spectentur, in ipsa laude eorum posse poni. Quae si recte sunt disputata, orator contradictione discipuli Panathenaico adiuncta id voluit efficere ut Theopompi gratia quae nimis aspera et iniqua iudicia in oratione de Lacedaemoniis tulisset ita compensarentur ac corrigerentur.

Hic quaerendum est num iure H. Wolfius l. c. dicat fieri posse ‘ut totus ille dialogus ab Isocrate sit confictus’. Quominus igitur hoc concedamus id primum obstat quod orator in rebus quae ad disputationes illas cum discipulo institutas pertinent narrandis singula definite persequitur. Etenim ipsius discipuli peculiare ingenium tam propriis ac certis lineamentis describi ut de persona aliqua ficta cogitare non liceat, sed certus homo, Theo-

pompus, facile agnoscatur, supra satis demonstrasse mihi videor. Ceterum respicias rerum etiam leviorum et minoris momenti distinctam ac subtilem narrationem. Ita, ut nonnulla afferam, § 200 discipulorum cum quibus, antequam Theopompum in consilium adhibuisset, correxisse sese orationem Isocrates narrat ipse numerus indicatur (*μετὰ μειρακίων τριῶν ἢ τεττάρων τῶν εἰθισμένων μοι συνδιατρίβειν*). Praecipue vero de iis quae inter priorem et alteram conventum sibi evenerint videas quam singillatim orator exponat §§ 230—233; nam de animi sui iuvenili affectione (§ 230 *φρονῶν μεῖζον ἢ προσήκει τοὺς τηλικούτους καὶ ταραχῆς μειρακιώδους μεστὸς ὤν*), se puero orationem dictavisse (§ 231 *ὑπέβαλον τῷ παιδὶ τὸν λόγον*), quot fere dies intermissae fuerint cum orationem relegeret et in iis quae de Lacedaemoniis dicta essent offenderet (ibid. *τριῶν γὰρ ἢ τεττάρων ἡμερῶν διαλειφθεισῶν ἀναγιγνώσκων αὐτὰ καὶ διεξιὼν . . . . ἐπὶ τοῖς περὶ Λακεδαιμονίων ἐλυπήθην καὶ βαρέως ἔφερον*), de dubitatione sua ambigentis combureretne orationem an ederet (§ 232 *ὥστε πολλάκις ὁρμήσας ἐξαλείφειν αὐτὸν ἢ κατακάειν μετεγίγνωσκον*), explicate ac diligentissime perscribit. Item quae in ipso altero conventu accidisse legimus § 233 sq.: *τούτων γνωσθέντων οὐδεμίαν διατριβὴν ἐποιησάμην, ἀλλ' εὐθὺς παρεκέκλητο μὲν οὓς εἶπον, προειρηκὼς δ' ἦν αὐτοῖς ἐφ' ἃ συνεληλυθότες ἦσαν, ἀνέγνωστο δ' ὁ λόγος, ἐπῃνημένος δ' ἦν καὶ τεθορυβημένος καὶ τετυχηκὼς ὥνπερ οἱ κατορθοῦντες ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν. ἁπάντων δὲ τούτων ἐπιτετελεσμένων οἱ μὲν ἄλλοι διελέγοντο πρὸς σφᾶς αὐτούς, δῆλον ὅτι περὶ τῶν ἀναγνωσθέντων· ὃν δ' ἐξ ἀρχῆς μετεπεμψάμεθα σύμβουλον, τὸν Λακεδαιμονίων ἐπαινέτην, πρὸς ὃν πλείω διελέχθην τοῦ δέοντος, σιωπὴν ποιησάμενος καὶ πρὸς ἐμὲ βλέψας ἀπορεῖν ἔφασκεν ὅ τι χρήσεται τοῖς παροῦσιν*, haec omnia tam definite per partes describuntur ut res vere factas, non fictas et simulatas nobis narrari eluceat. Quod idem efficitur ex priore disputatione cum discipulo instituta (§§ 202—228), qua hunc merita Lacedaemoniorum laudantem magister confutat, utpote quae toto dialogo conficto prorsus videderetur supervacanea. Namque si putemus Isocratem ficti discipuli fictam interpretationem orationi adiunxisse qua iniquum de Lacedaemoniis iudicium compensaret, quidnam sibi voluerit eundem discipulum contradixisse et uberrima oratione a se confutatum esse

insuper affingens, minime liqueat. Itaque prius illud colloquium cum discipulo institutum explicationem non habet, nisi iis quae orator ipse de origine huius orationis partis aperuit fidem habentes sermones vere factos eum orationi credimus adscripsisse (§ 262 τὸν λόγον . . . . προσγράψαντα πάσας τὰς διατριβὰς τὰς περὶ αὐτὸν γεγενημένας διαδιδόναι τοῖς βουλομένοις λαμβάνειν).

Huius rei documento est etiam Panathenaici formae varietas; nam prior pars in orationis formam redacta est, quae in altera parte discipulus contradicit et interpretatio eius dialogum et disputationem efficiunt. Duo autem colloquia proponuntur, quorum alterum, eo consilio ab Isocrate institutum ut discipulorum imprimisque Theopompi iudicium de Lacedaemoniorum vituperationibus peteret, sic dispositum est: prior discipuli contradictio (§ 202); prior magistri confutatio (§§ 204—214); altera discipuli contradictio (§§ 215—217); altera magistri confutatio (§§ 219—228). Alterum vero, deliberandi causa habitum utrum oratio edenda esset necne, maximam partem constat e discipuli interpretatione eorum quibus magister Lacedaemonios vituperavit (§§ 235—263). Atque dialogi forma propria erat operum Platonis et primo quidem tempore, ut supra vidimus, Aristotelis; apud Isocratem autem, qui praeterea sola orationis forma utitur, nusquam nisi hoc loco invenitur. Quodsi putaremus ficta esse quae in altera orationis parte narrantur, ita ut forma eius partis ex optione penderet oratoris, quid tandem causae fuisse diceremus cur ab usitata orationis forma decederet et insolitam dialogi formam praeoptaret? Minime quidem haec forma abhorret a ratione Panathenaici; nam notum est Isocratem orationes conscripsisse quae legerentur, non quae dicerentur (vid. Panath. § 136 τοσοῦτον ἀναγνῶναι μέρος καὶ διελθεῖν ὁπόσον ἂν αὐτοὶ βουληθῶσιν, § 251 τοὺς δὲ φρονιμωτάτους αὐτῶν καὶ τῶν λόγων τινὰς ἔχοντας τῶν σῶν . . . . ἣν λάβωσι τὸν ἀναγνωσόμενον καὶ χρόνον ὥστε συνδιατρῖψαι σφίσιν αὐτοῖς κτλ. Cf. §§ 200. 216). Sed neque ad libidinem eum elegisse hoc loco formam alienam eamque propriam adversariorum consentaneum est neque aliam rationem idoneam qua res explicetur facile invenias. Nam quod Teichmueller[1] opinatur, id propositum fuisse oratori ut cum Platone

[1] L. c. p. 280.

ipsa forma contenderet, omnem fidem videtur superare. Neque enim huc illum intendisse ullo verbo indicatur. Praeterea iure quaesiveris cur non totam orationem potius quam partem tantum inferiorem in dialogi formam redegerit. Nihil igitur relinquitur nisi ut statuamus disputationes illas e sermonibus vere habitis repetitas esse, quia hoc uno modo dialogi forma ab Isocrate aliena unde orta sit, ut quae in ipsis rebus narrandis iam posita fuerit, bene explicatur.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIPTA EST

DE ISOCRATIS PANATHENAICO

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX MENSIS IULII A. MDCCCLXXXVII

IN PUBLICO DEFENDET

HENRICUS BRAND

CRUCINACENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ANTONIUS KREUSER, CAND. PHIL.
PAULUS VERRES, SEM. PHIL. REG. SENIOR.
AUGUSTUS VON WOLFF, CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXXXVII.

THESES.

I.

Fabulam quae Xenoph. Mem. II 1 § 21 sqq. de Hercule narratur non ab ipso scriptore effictam, sed ad similitudinem proprii Prodici dicendi generis compositam esse contra Blassium (vid. Att. Bereds. I) defendo.

II.

Non licet ex Isocr. Panath. § 131 de tempore quo Aristotelis Ethica Nicomachea aut tota aut pars eius edita sit aliquid statuere (vid. Henkel Stud. zur Gesch. d. griech. Lehre vom Staat. Leipz. 1872 p. 46 adn. 25. Cf. Oncken Die Staatslehre des Aristoteles II p. 160).

III.

Aristoph. ran. vv. 1407—1410 non recte ab Ad. de Velsen post v. 1400 transponuntur.

IV.

Ibid. v. 1368 pro *τοῦτό με* scribendum esse censeo *τοῦδ᾽· ἐμέ.*

V.

Soph. Ai. 876 pro *πλέον* a poeta scriptum fuisse puto *περῶν* collato Eurip. Or. 513.

VI.

Soph. Oed. Col. 570 codicum scripturam *μοι δεῖσθαι φράσαι* ex genuina lectione *μυθεῖσθαι πάρα* et glossemate *φράσαι* corruptam esse conicio.

VII.

Val. Flacc. Argon. I 66 ‘sectatur’ quod Hauptius pro ‘sectantum’ proposuit inter verba Valerii recipiendum est.

VIII.

Ibid. 90 non est cur ‘cingent’ cod. Vatic. auctoritate firmatum mutetur.

IX.

Horatius Carm. II 5, 22 fortasse scripsit: mire et sagaces falleret hospites.

VITA.

Natus sum Henricus Petrus Ioannes Brand Crucinaci, in urbe ad Navam sita, Nonis Martiis a. h. s. LXIII patre Iosepho, matre Elisa e gente Weingarth. Patrimum me esse matrimumque maxime gaudeo. Litterarum initiis imbutus inde ab anno h. s. LXXV gymnasii Monasteriensis per septem annos fui discipulus. Maturitatis quod vocant testimonium assecutus academiam regiam Monasteriensem adii, ubi per octies senos menses studiis philologicis addictus docentes audivi VV. DD. Storck, Langen, Stahl, Spicker, Jacobi, Milchhoefer. Per quater senos menses seminarii philologici regii Monasteriensis, cuius exercitationes VV. CC. Langen et Stahl moderantur, sodalis fui ordinarius. Omnibus qui me docuerunt, imprimis VV. DD. Stahl, Langen, Storck, qui eximie de me meriti sunt, gratias ago quas debeo maximas.